Doct:
Sebaſtiani Schmidij
Commentatio
in
D. Pauli
ad
GALATAS
Epiſtolam
et
Paraphraſis Danica
Petri Wandalini.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

1,-292

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°

1 1 01 0 4 015 16 9

+ REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

1763.

SEBASTIANI SCHMIDII,

Doct. Theol. in Univerſit. Argentor. Profeſſoris,
Senioris, & Conventus Eccleſ. Præſidis,

In

D. PAULI
ad
GALATAS EPISTOLAM
Commentatio.

KILONI,
Sumtu hæredum B. Gottfredi Schultzii,
Typis Joach. Reumanni, Acad. Typogr.
M. DC. XC.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

B.R.H.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

CAPUT I.

Analyſis.

Quemadmodum Interpretes integram D. Pauli *ad Galatas* Epiſtolam diverſimodè dividunt: ita caput primum non eodem omnes modo reſolvunt. Nos illud ſtatim aggredientes reſolvimus in partes tres.

Prima pars eſt ἐπιγραφὴ, ſeu Inſcriptio Epiſtolæ. In qua occurrit I. *Inſcriptionis formula.* Et in hâc I. *Perſonæ ſcribentes.* Quæ ſunt (1) Ipſe Epiſtolæ *Autor* θεόπνευστος deſcriptus, tùm à *nomine proprio*, Paulus, v. 1. tum *ab officio*, Apoſtolus, ibid. Cujus collatio ſignificatur partim *negativè*, quod *non* ſit *ab hominibus*, tanquam cauſa principali; *non ab hominibus*, ibid. *nec per hominem*, tanquam miniſterialem; *neque per hominem*, ibid. partim *affirmativè*, quod ſit *per JEſum Chriſtum & DEum Patrem*, tanquam unam cauſam ſummam, immediatè vocantem: cujus unitatis argumentum eſt reſuſcitatio JEſu Chriſti ex mortuis per DEum Patrem. ibid. (2) *Autori Epiſtolæ ſubſcribentes*; deſcripti, tùm à fidei communione; *Fratres.* v. 2. tùm à converſatione familiari; *qui mecum ſunt*, ibid. tùm ab unanimi conſenſu in Epiſtolam; *omnes*, ibid. 2. *Perſonæ, ad quas* ſcribitur: ſc. *Eccleſiæ Galatiæ*. ibid. II. *Inſcriptionis votum.* In quo obſervandum 1. quid voveatur: (1) *gratia*, (2) *pax*. v. 3. 2. quibus voveatur: iis nimirum, ad quos ſcribitur, Eccleſiis Galatiæ; *vobis*, ibid. 3. à quo voveatur datore: qui eſt (1) DEus Pater, ibid. (2) JEſus Chriſtus, ibid. qui laudatur ab opere redemptionis, quod peregit tum ex decreto Dei & Patris v. 4. tum dando ſemetipſum ſcilicet in ſacrificiũ, *pro peccatis noſtris*, ibid. tum eo fine, *ut liberaret nos à præſenti ſeculo*

malo, ibid. III. *Inſcriptionis* δοξολογία ad DEum Patrem ; *cui ſit gloria in ſecula ſeculorum*, Amen. v. 5.

Secunda pars habet *Propoſitionem*. Cujus notandus 1. *ſenſus*, qui hic eſt : Vos, ô Galatæ, peſſimè feciſtis, dum tàm citò paſſi eſtis vos averti ab eo, qui vocavit vos in gratia Chriſti, in aliud Evangelium. 2. *Rhetoricum artificium*, quo per admirationem concepta eſt : *Miror, vos* &c. v. 6. 3. *Vis & efficacia verborum*. (1) *Miror* ; quo verbo res improviſa viro prudenti ſignificatur, atq; adeò inconſtantia Galatarum ingens indicatur ; Quicquid enim ne quidem à prudenti viro prævidetur aut expectatur, id, quando humanum eſt , ſummæ levitatis eſt. (2) οὕτω ταχέως, *adeò citò*, auget crimen & culpam : omnis enim mutatio animi injuſta eò majoris inconſtantiæ & culpæ eſt , quo facilior eſt, & citius contingit. (3) μετατίθεσθε, *transponimini*, notat , Galatas non tam per ſeipſos mutatos, quam ab aliis : quod , cum alicubi culpam minuat, hîc auget ; dum Galatæ per levitatem mentis ſuæ ab aliis ſe mutari paſſi ſunt, re prius apud ſe non debito modo conſiderata, quo modo à ſeductionibus tuti eſſe potuiſſent. (4) Τὸ, *ab eo, qui vocavit vos in gratia Chriſti*, indignitatem rei oſtendit : indignum enim fuit, tantam vocantis DEI gratiam tam citò negligere. Et (5) Τὸ, *in aliud Evangelium*, & mutationis magnitudinem, & ejus culpam extollit. Nam non facta eſt qualiscunque Evangelii mutatio non laudabilis, quâ tamen ſubſtantia Evangelii ſalva manſerit ; ſed adeò magna & turpis, ut in aliud prorſus ſubſtantiâ Evangelium conceſſerint Galatæ, adeoque ſubſtantiam prioris h. e. veri Evangelii prorſus amiſerint.

Tertia pars habet *Propoſitionis confirmationem*. Cujus ratio Ia ſumitur *à natura* τοῦ ἑτέρου εὐαγγελίου, *alterius Evangelii*, in quod tranſlati ſunt Galatæ : quæ deſcribitur 1. *negativè*, quod non ſit aliud, verum ſc. Evangelium, v. 7 ; 2. *affirmativè*, quod tantùm ſit ſeductio & perverſio quorundam hominum pervertentium Evangelium Chriſti, h. e. verum, ibid. Unde argumentum : *Quicunq; citò citius transferri ſe patiuntur in Evangelium non verum, quod nihil aliud eſt, quàm corruptela corrumpentium verum Evangelium, illi peſſimè faciunt. Atqui vos Galatæ, dum tranſlati eſtis à vocante vos per me in gratia Chriſti, paſſi eſtis, &c. Ergò.* IIda ratio ſumitur *à natura veri Evangelii, à quo Galatæ tranſlati ſunt* ; juxta quam naturam ſuam eſt Evangelium æ-

ternæ

ternæ & immutabilis non tantum veritatis, ſed & perfectionis. Unde
argumentum: *Quicunq; citò citius ſe patiuntur transferri in falſum Ev-*
angelium ab eo Evangelio, quod non tantum æterna & immutabilis veri-
tatis, ſed & perfectionis, illi peſſimè faciunt. Atqui vos Galatæ, dum
translati eſtis ab eo, qui vocavit vos per me in gratia Chriſti, paſſi eſtis
&c. Ergò. Minor probatur ab *impari*, quia non tantùm veritas, ſed
& perfectio veri Evangelii æternior & immutabilior eſt, quàm veraci-
tas Angelorum ſanctorum, & ipſius Apoſtoli Pauli, v. 8. 9. Argu-
mentum hoc eſt: *Quæcunq; perfectio adeò conſtans eſt, ut citius angelus de*
cœlo confirmatus in veritate omni, aut infallibilis in veritate doctrinæ A-
poſtolus, e. g. ipſe Paulus, *ei aliquid addendo, anathema fieri poſſit, quam*
ut ipſa alia fiat, aut perfectioni ejus aliquid addi poſſit, illa omninò
immutabilis & æterna eſt. Atqui Evangelii, quod vos, ô Galatæ, à me
accepiſtis, ſed ab eo translati eſtis in aliud, perfectio talis eſt. Ergò. Hic
namque ſenſus eſt verſus octavi & noni, ut infra videbimus ſuo loco.
Minor probatur *à materia* Evangelii veri, quæ conſtat rebus merè
divinis, & divinæ veritatis, ſine ulla corruptione humana, in gratiam
hominum facta, v. 10. Unde argumentũ: *Quodcunq; Evangelium prædi-*
cat res merè divinas, & quæ divinæ veritatis ſunt, illius perfectio adeò
conſtans eſt, ut citius Angelus de cœlo in veritate omni confirmatus, aut
infallibilis in veritate doctrinæ Apoſtolus, e. g. ipſe Paulus, ei aliquid ad-
dendo, anathema fieri poſſit. Ratio eſt plana: quia res divinæ & di-
vina veritas longè conſtantiores ſunt quavis conſtantiâ creaturarum,
ſive angelica ſive apoſtolica. *Atqui Evangelium ejus, qui vocavit*
vos, ô Galatæ, per me in gratia Chriſti eſt tale. Ergò. Minor iterum
probatur ab origine hujus Evangelii veri incorrupta, quæ merè divi-
na eſt, & ex nulla parte humana, v. 10. Argumentum ita habebit:
Quodc. Evangeliũ prædicatur ab eo, qui revera non ſuadet homines, tan-
quam à quibus acceperit, ſed DEum, nec quærit hominibus placere, in eo-
rum gratiam illud corrumpens, illud prædicat res merè divinas & di-
vinæ veritatis. Atqui Evangelium ejus, qui vocavit vos, ô Galatæ, per
me in gratia Chriſti, prædicatur à tali, me ſcil. Ergo. Conſequentia
majoris quoad prius membrum clara eſt; quicquid enim à Deo acce-
ptum eſt, illud ſanè divinum eſt: quoad poſterius probatur, quia,
quemadmodum, qui hominibus vult placere, ut verbum à Deo acce-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

ptum corrumpat, Chriſti ſervus non eſt, nec verbum Chriſti amplius habet; ita contra qui non tantum à Deo accepit, ſed & ſine corruptione retinuit, ille Chriſti ſervus eſt, atque adeò verbum ejus eſt divinum purè, eò quod Chriſtus Deus ſit, verſ. eod. Minor verò reaſſumta v. 11, *notum verò facio vobis* &c. probatur *à revelatione Paulo facta immediatè* per JEſum Chriſtum, v. 12. Argumentum hujus formæ erit: *Quod c. Evangelium prædicatur ab eo, qui nec ab homine illud accepit, nec edoctus eſt per hominem quoad ullam partem, ſed per revelationem JEſu Chriſti immediatam, id prædicatur ab eo, qui reverà non ſuadet homines, tanquam à quibus acceperit, ſed Deum, nec quærit placere hominibus, in eorum gratiam illud corrumpens.* Ratio eſt, quia, ut Chriſtianis Galatis jam notum & certum erat, qui ita immediatè vocatur, & docetur, is infallibilis eſt per omnem vitam in docendo; verus enim & ſummus Apoſtolus aliquis eſt. *Atqui Evangelium ejus, qui vocavit vos, ô Galatæ, per me in gratia Chriſti, prædicatur* &c. *Ergò* Minor probatur per hiſtoricam converſionis, & primæ revelationis Paulo factæ, & totius decurſus prædicationis Evangelicæ ab ipſo peractæ narrationem, à v. 13. usq; ad v. 17. cap. ſecundi optimâ fide factam; *quæ vero ſcribo &c.* v. 20. In quâ narratione docetur I. *Vita Pauli ante converſionem acta*, in quâ 1. deditus erat Judaiſmo, falſo ſcil. & corrupto; *audiviſtis enim meam converſationem olim in Judaiſmo*, v. 13. 2. perſequens & evertens Eccleſiam DEI; *quod ſupra modum* &c. ibid. 3. creſcens præ coætaneis in ſuperſtitione illa, & in zelo perſecutionis; *& proficiebam in Judaiſmo &c.* v. 14. II. *Ipſa converſio*, conſtans 1. tùm *decreto divino* antecedaneo, *inde ab utero matris*, h. e. ab æterno; *quando verò beneplacuit DEO* &c. v. 15. tùm vocatione temporali, non tantùm ad Chriſtianiſmum, ſed ſimul (quod hîc maximè attendendum) ad Apoſtolatum; *& vocavit* &c. ibid. facta. 2. *Ratione cauſæ impulſivæ*, ex beneplacito & gratia mera; *quando beneplacuit DEO* &c. *& vocavit in gratia*, ibid. Ratione 3. *cauſæ formalis*, per immediatam JEſu Chriſti filii DEI intus in corde revelationem, h. e. cordis immediatam illuminationem per immiſſum fidei & perfectæ cognitionis Evangelicæ lumen; *revelare filium ſuum in me.* v. 16. Ratione 4. *cauſæ finalis*, eo fine, *ut prædicaret Evangelium inter gentes.* ibid. III. *Officii Apoſtolici poſt converſionem exſecutio*, facta 1. *non conferendo cum carne & ſanguine*, à

ne, à quibus aliquid acciperet, ibid. *nec* 2. *aſcendendo Hieroſolymam*, ut plus addiſceret ab Apoſtolis prioribus, v. 17. ſed 3. *abeundo in Arabiam* prædicandoque ibi Evangelium ex priori tantùm immediatâ illuminatione, ibid. *redeundo* 4. *in Damaſcum*, & idem eodem modo prædicando, ibid. 5. *aſcendendo demum poſt triennium Hieroſolymam*, & paucos tantum dies ibi manendo. v. 18. non tamen 6. *ad diſcendum aliquid*, ſed tantùm ad videndum Petrum, non viſis aliis Apoſtolis, v. 18. 19. *veniendo poſteà* 7. *in climata Syriæ & Ciliciæ*, v. 21. tanto 8. *cum ſucceſſu*, ut faciem ignotus Eccleſiis Judaicis, ſed tantum famâ notus, nihilominus adeò magni factus ſit, ut DEum ſuper illo glorificaverint, v. 22. 23. 24. &c.

Exegeſis.

V. 1.

Paulus Apoſtolus &c.) De nomine *Pauli* 1. agere ſolent Interpretes ad Act. XIII. v. 9. ubi vid. *Flacius*, *Beza*, & *alii*. Confer. *Juſtinianus* ad Rom. I. v. 1. ubi prolixus eſt. Nos, ut paucis, quod magis probabile videtur, dicatur, exiſtimamus, Paulum in Cilicia, atque adeò inter gentes Romanæ ditionis, ſed & ipſum civem Romanum natum, Act. XXII. v. 28. à parentibus *Pauli* nomine appellatum fuiſſe: qui verò, poſtquam è provincia egreſſus Hieroſolymam ad Judæos ſtudiorum gratia venit, diuque ibi manſit, in Hebræum idioma inflexo nomine ab Hebræis & inter Hebræos Sauli nomen aſſumſerit; ſed cum è Judæa rurſus ad prædicandum inter gentes Evangelium diſceſſiſſet, quod olim inter gentes habuerat, *Pauli* nomine appellari iterum voluerit, eò quod inter gentes *Pauli* nomine olim notus fuiſſet; quæ prudens appellationis mutatæ ratio eſt. 2. Apoſtoli nomen bifariam ſumitur, latius & ſtrictius; vid. *Gerhard.* de *Miniſt. Eccleſ.* §. 216. Sed & Paulus 3. nomen Apoſtoli ipſe nobis diſtinguit, cum addit: *Non ab hominibus, neque per hominem, ſed per JEſum Chriſtum & DEum Patrem.* Nam oſtendit, diſtingui poſſe Apoſtolos (1) in humanos & divinos, h. e. ab hominibus alios, illegitimè ſc. (ſi de Doctoribus Eccleſiæ ſermo ſit; *vid. B. Hunnius & Balduinus*) & alios à DEO legitimè miſſos. Divinos (2) alios mediatè per homines, alios immediatè per JE-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

ſum Chriſtum & DEum Patrem miſſos. Mediatè vocati quivis Eccleſiæ Doctores eſſe poſſunt, qui ſunt fallibiles; ſed immediatè, tanquam ad ſingularem Apoſtolatum, miſſi fuerunt infallibiles, & numero tredecim; duodecim ſcil. qui cum Chriſto in carne vixerunt, quibus Paulus noſter additus. Hos Paulus ob ſingularem Apoſtolatum vocat τοὺς ὑπὲρ λίαν ἀποστόλους, 2. Cor. XII. v. 11. cap. XI. v. 5. Hinc verò diſcimus quoq; omnium in univerſum Eccleſiæ Doctorum tum V. tum N. T. vocationisque eorum diſtinctionem. Nimirum quemadmodum Apoſtolus diſtinguit Apoſtolos in mediatè & in immediatè vocatos: ſic in univerſum omnes Eccleſiæ omnium temporum Doctores vel ſunt mediatè vel immediatè vocati: & vocatio divina in univerſum omnis vel mediata eſt vel immediata. Benè itaque Doctores noſtrates communiter hanc vocationis diſtinctionem tradunt, & ex h. l. probant; vid. *B. Lutherus* in h. l. & *B. Hunnius* in h. l. Suam autem immediatam vocationem ſtatim ab initio aſſeruit Apoſtolus, & infrà v. 12. ſeqq. amplius aſſerturus eſt, propter Pſeudo-doctores, qui Apoſtolatum ejus calumniabantur, quaſi ab hominibus accepiſſet, vel per hominẽ ſaltem, ſed ſummis Apoſtolis, quos illi pro ſe jactabant, æquiparari non poſſet. Diſcimus etiam hinc, nihil obſtare immediatæ vocationi Pauli, quod Act. IX. *Ananias* ad ipſum miſſus eſt: quippe per quem non primum Paulus vocatus, ſed in vocatione confirmatus, tanquam per internuncium, & donis ſpiritûs ſancti auctus. Conf. *Bald.* ad h. l. *quæſt.* I. 4. Præpoſitio ἀπὸ, cum dicitur, οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων, *non ab hominibus*, non cauſam miniſterialem, ut *Eſtius in h. l.* putat, ſed autorem principalemque cauſam notat, ſive mediatè, ſive immediatè agentem, ut patet ex oppoſitione: *Neque per hominem.* Ita mox dicitur v. 3. *Gratia vobis & pax* ἀπὸ θεοῦ πατρὸς, *à DEO Patre*, ſcil. tanquam primo gratiæ & pacis autore. Sed 5. præpoſitio διὰ diverſimodè uſurpatur: nam in verbis, οὐδὲ δι' ἀνθρώπου notatur ſimpliciter cauſa miniſterialis ſeu inſtrumentalis. Atque hoc iterum dat oppoſitio, quaſi dicat: Non ab hominibus, tanquam cauſa principali; ſed neque ita, ut non quidem ab hominibus, per hominem tamen vocatus ſim, tanquam cauſam miniſterialem. Sed in verbis, ἀλλὰ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, *ſed per JEſum Chriſtum*, excludit cauſam miniſterialem, & autorem ſeu cauſam principalem facit immediatè agentem, h. e. ut Latini dicerent, per ſeipſam agen-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

ſentem. Non igitur ex illa arguendus eſt Chriſtus etiam cauſa miniſte- rialis, ſed principalis. Vid. *Bald. in h. l. q. 3.* Quod 6. etiam ex hoc apparet, quia eodem loco, quo DEus Pater, ponitur, cum dicitur: *ſed per JEſum Chriſtum & DEum Patrem.* Benè itaque hoc ex loco concluditur homouſia Chriſti & DEI Patris, vi cujus Chriſtus etiam DEus ſit. Vid. B. *Hunn.* ad h. l. *Loc. Comm.* 3. *Bald.* in h. l. quæſt. 2. *Nam qui* 1. *numero merorum hominum, & conſequenter quarumcunque cauſarum miniſterialium, eximitur*; 2. *in eodem gradu cauſæ principalis cum DEO Patre ponitur, is verus DEus eſt. Atqui Chriſtus &c. Ergò.* Et 7. per verba: τȣ̃ ἐγείραντος αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, *qui ſuſcitavit ipſum ex mortuis*, unitatem cauſæ & modi cauſandi infert, non diverſitatem. Infert enim Paulus, quod immediatè etiam à DEO Patre vocatus ſit; etiamſi ſolus JEſus Chriſtus, non DEus Pater, in viâ Damaſcena apparuiſſet. Excipi itaque potuiſſet: per JEſum Chriſtum quidem vocatus es, ſed non ſimul à DEO Patre, quia DEum Patrem non vidiſti, ſed tantùm Chriſtum; ſed Paulus reſpondet: Ego vocatus ſum per Jeſum Chriſtum jam ex mortuis reſuſcitatum, & DEus Pater eſt, qui ipſum reſuſcitavit ſimul, ut adeò utriusque una ſit eademque actio, & ego, quando vocatus ſum à Chriſto, ſimul una eademque vocatione unoque modo vocandi ab utroque vocatus ſum. Adde, quod *reſuſcitatio ex mortuis* non præcisè tantùm dicat eductionem è ſepulcro, ſed ſubſecutam aſcenſionem in cœlos, & collocationem ad dextram Dei Patris, ex quâ magis una eademque actio agendique modus, & humanitati quidem etiam communicatus, infertur. Reſuſcitatio namque ex mortuis & ſeſſio ad dextram Dei Patris præcipuum aliquod argumentum ſunt, quod Chriſtus ſit Filius Dei, idemque cum Deo Patre DEus, licet alia perſona, & ordine Patre poſterior. Conf. Rom. I. v. 4. *D. Hunn.* inſuper putat, *occupari exceptionem* à Paulo; objici potuiſſe, quod non à Chriſto in terris converſante vocatus ſit, ut reliqui Apoſtoli; Reſpondere Paulum, nihil ſibi decedere, ſed accedere potius, quod Chriſtum non humilem, ſed jam glorioſum & ex mortuis reſuſcitatum viderit. B. *Lutherus* verò etiam in h. l. putat, Apoſtolum ſervire cauſæ, quam infrà acturus ſit, & inſinuare juſtitiam Chriſti, qui propter noſtram juſtitiam reſurrexerit, Rom. IV. v. ult.

V. 2.

Et qui mecum ſunt &c.) 1. Qui hi ſint Fratres, cùm Apoſtolus ne Galatis quidem nominare voluerit, noſtra minùs etiam intereſt. Sufficit ponere, quod Fratres, ſc. in fide & Chriſto, ſint, atque eorum non exiguus numerus, ut res eò majus haberet pondus. Semper enim plus auctoritatis habet conſenſus multorum, quam paucorum. Niſi autem fuiſſent multi, procul dubio Apoſtolus non dixiſſet, *πάντες*, *omnes*. Romæ autem Apoſtolus captivus erat, ubi non tantùm ſemper ex aliis Eccleſiis fratres illi ſerviebant, ſed & Romana jam Eccleſia erat, ad quam Apoſtolus epiſtolam ad Romanos dictam jam exaraverat; Hos petiiſſe à Paulo, ut ſui mentionem hîc faceret, & dolorem ſuum ex defectione Galatarum conceptum exponeret, putat D. *Hunnius*, h. l. qui idem in L. C. 5. ait, feciſſe hoc Paulum non tantùm ad teſtificationem conſenſus in doctrina, ſed etiam ut id, quod in doctrina communicato conſilio gerebatur, accedente aliorum etiam ſuffragio plus auctoritatis acquireret, & expeditiorem ſucceſſum ſortiretur, ut ſit exemplum paſtoribus Eccleſiæ imitandum. Interim manet diſcrimen inter Paulum & Fratres hos; Paulus ſcripſit *θεοπνεύςως* & infallibiliter; Fratres verò hi conſenſerunt & ſubſcripſerunt mediatè, & per ipſum Apoſtolum ex Scripturæ rationibus edocti, quod divina ſcriberetur à Paulo veritas. Ita ex Concilio Hieroſolymitano Act. XV. ſcripſerunt non tantùm Apoſtoli, qui *θεοπνεύςως* perſuaſerunt Eccleſiæ, v. 7. ſeq. 12. 13. 14. ſeq. ſed & presbyteri & fratres, totaque Eccleſia, v. 22. 23. ſalvo nihilominus Apoſtolorum, presbyterorum, & fratrum diſcrimine. Et noſtræ quidem Epiſtolæ ſolum Paulum eſſe autorem *θεόπνευςον*, inde ſatis patet, quia plus ferè in hac Epiſtola de ſe in ſingulari loquitur, quàm in ulla earum, quæ ad integras Eccleſias ſcriptæ ſunt; ſed & ipſam propoſitionem ſtatim ſingulariter incipit: *Miror, vos adeò citò &c.* Annotant II. Interpretes, nominatim D. *Hunnius*, & D. *Balduinus*, Galaticos cœtus Chriſtianos nihilominus Eccleſiarum titulo à Paulo honeſtari, etſi ſeductæ eſſent in errorem, quia non omnium animos error occupaverat: quod & veriſſimum eſſe, vel ex cap. V. v. 1. patere poteſt: *ne iterum jugo ſervitutis implicamini.* E. nondum in ſervitutem redacti erant. Docet idem propoſitio, quæ dicit, *μετατίθεσθε*, *transferimini*, non, translati eſtis. In *fieri*

deſe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

defectio erat integrarum Eccleſiarum, ſeu translatio earum, dum multa jam membra error infecerat, nondum tamen in *facto*, ut integræ Eccleſiæ translatæ fuerint. Sed etſi integræ Eccleſiæ jam defeciſſent, monendæ tamen ut fratres fuiſſent, antequam fratrum nomine privarentur. Ellipſis eſt: *Eccleſiis Galatiæ*, ſc. *ſcribunt*. Vid. *Eſtium* in h. l. De gente Galatarum vid. Er. Schmid. h. l. & alios.

V. 3.

Gratia vobis & pax, &c.) Uſitata hæc eſt voti formula in epiſtolis Apoſtolicis Gratia 1. D. *Hunnio* eſt gratuitus favor Dei; pax, appellatione hebræa, omnis proſperitas, κατ᾽ ἐξοχὴν verò pax conſcientiæ. Conf. D. *Bald.* h. l. Non diſſentiunt hæc à B. *Luthero* noſtro, qui h. l. ſcribit: *Hæc duo vocabula, Gratia & Pax, comprehendunt totum Chriſtianiſmum: Gratia remittit peccatum, pax tranquillam reddit conſcientiam.* Nimirum per gratiam immediatè intelligit gratuitum Dei favorem; per pacem verò pacem Dei nobiſcum; cujus quando nos certos reddit, tranquillat noſtram conſcientiam. Rom. V, 1. Ex quibus verò duobus non poſſunt non ſequi, adeoque mediatè intelligi & inferri omnia bona totius Chriſtianiſmi; quem enim favor Dei pacati complectitur, illi nihil quicquam boni deeſſe poteſt. Pſ. 23. v. 1. Pontificii hîc ſubterfugiunt tamen. *Eſtius* in Rom. 1. v. 7. fateri cogitur, aliquando in Scripturis *gratiæ vocem* notare gratuitum Dei favorem; mavult tamen intelligere beneficia DEI gratuita ad æternam hominis ſalutem, ut ſunt fides, ſpes, charitas, remiſſio peccatorum, juſtificatio, virtutes, atque earum augmenta, bonorum operum perſeverantia, & ipſa vita æterna: Sed cum hæc omnia dona ſint favoris divini, ſanè ſimpliciſſimum eſt, ipſum favorem divinum intelligere, ex quo iſthæc omnia ultrò ſequuntur. Sed Pontificii libenter nobis imprimerent ubique gratiam inhærentem, ut in articulo Juſtificationis hoc facilius obreperent nobis. Hieronymus benè intelligit gratiam, quæ ex lege non ſit exſpectanda; ſed hæc nihilominus eſt favor DEI gratuitus: Nam Lex iram operatur, non gratiam & favorem Dei conciliat. Benè etiam Chryſoſtomus aſſerit hanc gratiam, quâ Galatæ lapſi Deo reconciliandi fuerint; & Auguſtinus, qua donantur peccata noſtra, ut reconciliemur Deo: ſed iterum hæc gratia eſt gratuitus Dei favor. Juſtinianus Jeſuita etiam putat, intelligi gratiam *adjuvantem*, vel concomitantem, nimis anguſtè; II. ſubaudiendum autem eſt ali-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

quid h. l. Et benè aſſumunt ex 1. Petr. I. v. 2. 2. Petr. I. v. 2. Jud. v. 2. πληθυνθείη, *multiplicetur, copiosè detur.* Sed hoc non tantum de augmento poſt initium, ſed de ipſo etiam initio intelligendum eſt. Nam cum multi inter Galatas procul dubio gratia ſeu favore Dei exciderint; inf. cap. V. v. 4: gratia & favor renovandus etiam fuit, & pax ablata reſtituenda. Benè etiam annotant, profanis epiſtolis ejusmodi quid uſitatum fuiſſe. Hinc Darius Dan. VI, v. 21. ad ſubditos ſuos ſcribit: *Pax vobis multiplicetur.* Precatur autem III. Paulus gratiam & pacem Galatis à DEO Patre & JEſu Chriſto Domino noſtro. Ubi ſanè notandum, quod non dicat: à Deo Patre propter Dominum noſtrum, Jeſum Chriſtum. Verum itaque quidem eſt, quod D. *Hunnius* h. l. ſcribit: Hæc dona & bona precatur illis à DEO Patre, tanquam horum omnium fonte, & à Jeſu Chriſto, ut qui gratiam illam æterni Patris, & noſtri cum eo reconciliationem, ſua paſſione & morte hominibus comparavit: Hoc eſt, ut D. *Balduinus* prolixius h. l. Chriſtus cauſa meritoria, DEus Pater cauſa efficiens conſtituitur. Sicut etiam B. *Lutherus* in hunc locum egregiè docet, quâ ratione ſemper per Chriſtum ad DEum Patrem venire debeamus. Interim verum etiam eſt, quod ex Ambroſio *Juſtinianus* h. l. notat, Chriſtum conjungi DEO Patri, ut ſignificetur, ſalutem utrique acceptam referendam eſſe, oſtendaturque, Filium non eſſe minorem Patre, ſed utrumque unum DEum eſſe; quod ipſe etiam D. *Hunnius* L. C. 11. apertè habet & infert. Unde & *Pareus* in hunc locum benè dicit, dupliciter à Chriſto eſſe gratiam, pacemque, tùm quâ unus cum Patre DEUS, tùm quâ Mediator. Sed ut ordine rem dicamus (1) ad v. 1. annotavimus, quod præpoſitio ἀπὸ, *à, ab,* notet Autorem, & cauſam efficientem principalem, ſive mediatè ſive immediatè agentem. Hanc præpoſitionem h. l. (2) habemus ita, ut æqualiter ad DEum Patrem & JEſum Chriſtum pertineat. Unde (3) hujus præpoſitionis vi & conjunctionis Dei Patris cum Jeſu Chriſto, utique JEſus Chriſtus cum Deo Patre unus Autor ſummus, una eademque cauſa efficiens gratiæ & pacis conſtituitur, atque adeò verus unusque cum Deo Patre Deus oſtenditur, ſicut ſupra v. 1. quando dictum eſt: *Per JEſum Chriſtum & DEum Patrem.* Sed (4) eundem JEſum Chriſtum eſſe ſimul *cauſam meritoriam*, docetur per nomina, *JEſus* & *Chriſtus*, quæ ſunt nomina Redem-

to-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

toris, ſeu cauſæ meritoriæ, & maximè declaratur per ſubſequentia verba: *qui dedit ſemetipſum.* Itaque (5) ſenſus hic eſt: Gratia & pax multiplicetur vobis à Deo Patre, & à JEſu Chriſto, tanquam qui ſimul cum DEO Patre dator unus eſt, præterquam quod eſt JEſus Chriſtus, Redemtor & Mediator noſter, qui tradidit ſemetipſum pro peccatis noſtris, & hoc minus hoc loco excludendus eſt, quia etiam Mediator eſt, ſine quo ne Pater quidem daret gratiam & pacem.

V. 4.

Qui dedit ſemetipſum &c.) Hæc verba Paulus ſtudio addit, ut clariùs doceat, quod Chriſtus ſit non tantùm cauſa efficiens, h. e. dator gratiæ & pacis cum Patre, ſed & cauſa meritoria, & quomodo, nimirum dum dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris. Annotant maximè Noſtrates, quod Paulus ſtatim ab initio hujus Epiſtolæ meritum Chriſti nobis cum Galatis inculcare voluerit, & ſemina ſpargere futuræ tractationis, quod non noſtris meritis, ſed gratiâ Dei & meritis Chriſti juſtificemur & ſalvemur. Vid. *D. Lutherus*, *Hunnius*, *Balduinus* in hunc locum. Simile quid habet *Eſtius* h. l, ſed hypotheſibus Pontificiis accommodatum. Et certè fruſtrà hoc non factum ab Apoſtolo, vel inde colligitur, quia in aliis Epiſtolis voto non annectuntur talia verba. Hîc verò ſic procedendum erit: Paulus (1) voto ſuo ſubjungit fundamentum fiduciæ ſuæ, quo fretus auſit Galatis apprecari gratiam & pacem. Id hoc eſt, quod Chriſtus tradidit ſemetipſum pro peccatis noſtris, ut eriperet nos è præſenti ſeculo malo, qui propterea cum Patre etiam daturus ſit Galatis gratiam & pacem ſuam, ut è ſeculo hoc, cui non parùm denuò immerſi, eripiantur. Quo (2) ſimul ſubinnuit Galatis, quod malè fecerint, quando non per gratiam Chriſti, ſed per ſua opera & legem ſalvari voluerint: Non deſperandum tamen ſit, cum meritum Chriſti propterea factum ſit, ut eriperentur è falſis ſeculi præſentis opinionibus & peccatis; Eosdemque (3) commonefacit, non de meritis propriorum operum, ſed Chriſti cogitandum ipſis eſſe, quod pluribus deinceps demonſtraturus. Atque ſic (4) arreptâ ex voto occaſione, qui plenus affectu pro meritis Chriſti contra propria merita erat, ſubjuncto voti ſui fundamento, in meritis Chriſti poſito, iniquum Galatarum factum taxare ſimul, & ad futuræ tractationis argumentum digitum intendere voluit. Ut verò verba

quo-

quoque nonnihil exponamus, I. benè monet D. *Balduinus* h. l. de conferenda phraſi, *qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris*, cùm aliis Scripturæ phraſibus, quod obtulerit ſeipſum Deo, ut emundetur conſcientia noſtra ab operibus mortuis, Hebr. IX. v. 14. tollat peccata mundi, Joh. 1. v. 29. &c. Nam hac ratione magis apparebit, quod Chriſtus ſe non tantùm in exemplum, ſed in hoſtiam ſatisfactoriam pro peccatis noſtris dederit, contra Photinianorum blasphemam doctrinam. Certè, quod dicitur hîc Chriſtus *ſe dediſſe pro peccatis noſtris*, exponitur, quod pro peccatis expiandis, emundandis, tollendis, propitiandis factum ſit, Hebr. IX. v. 14. Joh. I. v. 29. 1. Joh. I. v. 7. cap. II. v. 2. non autem redimendis, ut *Socinus* nugatur. Neque enim usquam dicitur Chriſtus redemiſſe peccata noſtra; quanquam Eccleſiaſtica phraſi, non tamen Photiniano, ſed ſano ſenſu, dici fortè & iſtud poſſit. Nos verò noſtram phraſin etiam ultrò adverſus Socinum urgemus. Quis enim unquam dicturus, quod quis in exemplum ſe dederit bonum, ad avocandum alios à peccatis, diceret, quod ſe pro peccatis ipſorum dederit? Apoſtolus inſuper haud obſcurè loquitur, cum dicit, quod *Chriſtus ſe ipſum dederit pro peccatis noſtris*, non ut peccata noſtra redimeret aut eriperet, ſed *ut nos redimeret ſeu eriperet è præſenti ſeculo malo. Dedit* II. ſc. Chriſtus *ſe ipſum*, cùm aliàs à Patre datus dicatur, ut ſciamus, datum eſſe à Patre, ſed non invitum, h. e. ut ſe ipſum lubens daret juxta voluntatem Patris. Et hoc benè etiam notant Interpretes. Dedit III. ἑαυτὸν, *ſemetipſum*, non aurum & argentum, 1. Petr. 1. v. 18. non hircos & vitulos, Hebr. IX. v. 12. ita quidem, ut ſecundum humanitatem ſolam ſenſum dolorum & paſſionis, ac quæcunque humilia, ſuſtineret, quod fatemur *Eſtio Pontificio* in h. l. non tamen, ut eſſet Mediator & Redemtor tantùm ſecundum humanam naturam, ſed ſecundum divinam & humanam ſimul. Nam *DEus dedit mundo Filium ſuum unigenitum*, Joh. 3. v. 16. & *propriô filiô non pepercit, ſed tradidit eum pro omnibus*, Rom. IIX. v. 32. Ut benè moneat B. *Lutherus*, conſiderandam h. l. pretii pro peccatis noſtris magnitudinem & infinitatem, (quæ ſanè à divinitate eſt) ut agnoſcamus etiam peccati ingentem turpitudinem, pro qua non niſi tanto precio ſatisfieri potuit. Dedit ſe IV. Chriſtus pro peccatis ἡμῶν, *noſtris*, h. e. omnium hominum, ita ut Galatarum etiam

pecca-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

peccata includantur juſtâ conſequentiâ. Ut V. eriperet *nos*, h. e, omnes homines *è præſenti ſeculo malo.* Hæc enim cauſa finalis eſt, ut benè D. *Balduinus* poſt D. *Hunnium* h. l. qui finis intentionem dicit, quæ ex eventu particulari malè à Calvinianis judicatur, & ad paucos reſtringitur: cum quibus *Eſtius Pontificius* h. l. malè etiam ſolos electos intelligit, in quorum perſona loquatur Paulus, dicens, ut criperet *nos*: malè opinatus, quaſi ereptio hæc ſit ſegregatio electorum ab impiorum & reproborum numero. Sanè, ut conſolatio ad omnes Galatas, ad quos Paulus ſcripſit, extenderetur, includendi hîc erant: Atqui non omnes electi erant. Vid. B. *Lutherum* h. l. qui oſtendit, quàm hic neceſſarium ſit, ut nos ipſos, non ſanctos tantùm, includamus contra particularitatem. VI. occaſione verborum ἐκ τοῦ ἐνεστῶτος αἰῶνος πονηροῦ, *à præſenti ſeculo malo*, finxerunt *Valentiniani* ſuos Æonas, & Manichæi Deum ſuum malum & creaturam ejus, vitamq; hanc ipſam malam. Conf. *Par. Eſt.* & alios h. l. ſed nulla creatura, per ſe & quà talis, mala h. l. ſignificatur; deliria iſthæc ſunt. Interim malè etiam *Eſtius* h. l. per præſens ſeculum malum intelligit tantum malos homines, quorum numerus in hoc mundo prævaleat; quam expoſitionem etiam D. *Hunnius* h. l. repudiat. Si enim, ut ille dicit, ſeculum ſeu tempus præſens metonomicè pro hominibus in eo viventibus ſumitur, utiq; omnes homines in eo vivunt, & intelligendi ſunt. Longè itaq; melius Noſtrates, B. *Lutherus*, *Hunnius*, & alii, totum mundum intelligunt, *qui* (verba ſunt D. Hunnii) πονηρὸς *dicitur, non ſubſtantiæ ſuæ reſpectu*, (quod & contra Flacianos notandum) *ſed propter inſecutam corruptionem, quæ poſt creationis opus per lapſum acceſſit, & quidem cum Satana, qui princeps hujus mundi*, quem imprimis etiam perſtringi putat idem *Hunnius*. Ut nihil claritatis deſit, D. *Balduinus* ſtatum corruptionis noſtræ exponit, & D. *Hunnius* conditionem vocat. Seculum itaque eſt ſtatus & conditio hominũ omnium in ſeculo, ſeu tempore locoq; mundi. Quem ſtatum Paulus conſiderat, ut ἐνεστῶτα, præſentem, jam poſt lapſum, quomodo ſe per naturam corruptam habet ante Chriſtum; Non præteritum, in ſtatu ante lapſum mox poſt creationem, per quam omnia facta ſunt bona, Gen. I. v. ult. Nec futurum gloriæ, in quo iterum erunt omnia in cœlo bona. Hic ſtatus tantùm malus eſt, quia in natura noſtra corrupta nihil amplius boni eſt, ſi ſpiritualiter judicetur, 1. Cor.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

II. v. 14. dominante in hoc ſtatu diabolo, qui hujus ſeculi Deus eſt, 2. Cor. IV. 4. Validus itaque locus hic eſt pro peccato originali, quod totius naturæ ſit corruptio, & contra liberum arbitrium, quod ad bonum ineptum eſt. Ex hoc ſtatu Chriſtus omnes omninò homines eripere vult, huncque in finem ſe pro omnibus tradidit. *Juxta* quidem VII. *voluntatem DEI & Patris noſtri.* Hæc voluntas Dei Patris eſt æternum Dei Patris conſilium, voluntatis antecedentis dictum, tanquam in quo toti mundo dedit filium ſuum unigenitum. Quam voluntatem crebrius Chriſtus nobis laudat in Evangelio, præcipuè Joh. VI. v. 38. ſeq. Conf. D. *Hunnium* & *Balduinum*, h. l. qui poſterior hanc voluntatem DEI vocat cauſam efficientem ſalutis noſtræ. Quidam hanc voluntatem DEI Patris referunt ad effectum, q. d. ut eriperet nos, quemadmodum DEus Pater vult, ut nos eripiat. Melius *Eſtius* ad traditionem Chriſti refert. Sed omnium optimè ad utrumque extenditur, q. d. ſicut voluntas DEI Patris æterna eſt, ut ſe ipſum traderet pro noſtris peccatis, & hac ratione nos eripere. Chryſoſtomus putat, occurri Galatis legem ſectantibus, in quâ voluntas DEI reveletur; reſponderi: At voluntatem Dei eſſe, ut per Chriſtum ſalvemur. B. *Lutherus* ſimili ratione exponit. Tribuitur IIX. hæc voluntas *DEO Patri*, ut à Chriſto diſtinguatur Pater, & fons divinitatis conſtituatur; non verò ut Filius & Spiritus Sanctus excludantur, quorum cum Patre una voluntas eſt. Et vocatur IX. DEus Pater *noſter Pater*, ſcilicet per Chriſtum, ſicut B. *Lutherus* h. l. rectè inculcat. Sed num ratione voluntatis antecedentis DEus noſter Pater dici poteſt, cum tamen nondum conſideremur, ut credentes: ſine fide autem impoſſibile ſit placere Deo, & filium ejus eſſe? Nonne vel hinc ſequitur, Paulum ſolos electos intelligere? ℞. Quemadmodum Chriſtus etiam noſter Redemtor, quando in æterno conſilio nobis datur: Ita DEus Pater in Chriſto nobis dato ſe ſtatim facit Patrem noſtrum. Nemo enim Chriſtum ſeu filium habet, ut Patrem non habeat, 1. Joh. II. 23. Sed quemadmodum Chriſtus datus eſt, ut poteſtatem daret fieri filios Dei, atque adeò filios Dei faceret: Ita DEus Pater tum Pater ita factus eſt, ut per Chriſtum nos filios ſibi faceret; Pater itaque tum erat affectus initio, ſeu *affectu generali*, quo relatio paternitatis & filiationis in ipſo originem habet, ut velit omnes filios ſuos fieri & ſalvari, 1. Tim. II, 4.

Inte-

Interim nondum eſt Pater *affectu ſpeciali*, quo quemvis jam factum filium complectitur, ubi fides ſupponitur. Quamvis verò alias Pater noſter appellari poſſit tota ſancta Trinitas; quia nihilominus DEus & Pater noſter à Chriſto clarè diſtinguitur, ideò de prima perſona accipiendum eſt, à qua, ut fonte & origine, eſt omnis paternitas in cœlo & in terra. Eph. III, 14. 15.

V. 5.

Cui ſit gloria &c.) More Hebræorum hæc doxologia addita eſt, juxta *B. Lutherum*, in hunc locum. Hebræi namque doxologias & euchariſtias ſuis ſcriptis interſpergunt. Pareus obſervat tamen, Paulo in exordiis epiſtolarum niſi hujus, non uſurpatam: ut factum ſit ad excitandos Galatas ad agnitionem & celebrationem tanti beneficii, quod Pſeudo-doctores inter ipſos imminuerant. Sine dubio verò Paulus ſpeciatim ad beneficium v. 4. inculcatum digitum intendit, juxta D. *Hunnium*: nihilominus quævis alia ſimul includit, q. d. Cui propter hoc, & omnia alia beneficia majeſtatemque, ſit gloria in ſecula ſeculorum, Amen. Sed & hoc non omittendum videtur, quod Paulus finem ſuæ ſcriptionis hâc doxologia indicet: quod ſcilicet quæcunque ſcripturus ſit, in gloriam Dei, cui omnis gloria debeatur, ſcripturus ſit, non in ſui gloriam, ut Galatis videri potuiſſet, quod autoritatem ſuam Apoſtolicam ſimul defenſurus erat. Etſi verò hæc doxologia ad DEum Patrem directa eſt, non tamen excludendus eſt filius, qui ſeipſum tradidit juxta voluntatem Dei Patris. Nam & ipſe Paulus hactenus non ſemel Deum Patrem & Chriſtum eodem loco poſuerat.

V. 6.

Miror, quod tam citò &c.) Nos in reſolutione indicavimus, contineri in hoc verſu totius Epiſtolæ propoſitionem; & nervum ejus oſtendimus, ut hîc poſſimus breviores eſſe. Artificium autem præcipuum in hâc propoſitione obſervant interpretes ſeveritatem cum lenitate mixtam: ut, licet omnibus vocibus Galatarum iniquiſſimum factũ exaggeret, ſimul tamen ſic ex parte ipſorum mitiget, ut majorem culpam in Pſeudo-Apoſtolos conjiciat. Vid. inprimis B. *Lutherum* in hunc locum, & *Balduinum*. h. l. Cavenda tamen fraus *Parei* h. l. qui omnia, & inprimis verbum μετατίθεσθε, *transferimini*, ita mitigat, ut Galatæ nondum plenè moti ſint & defecerint, licet multum remiſerint. Quo

illud obtinere conatur, quod verè fideles totaliter à fide nunquam transferantur, & deficiant, quia ex principio Calvinianorum fides eſt inamiſſibilis. Quomodo etiam eludere conatur argumentum Noſtratium, quod pro amiſſibilitate fidei & defectione à Chriſto poſſibili hinc ſumitur. Vid. B. *Lutherum* h. l. D. *Hunnium* L. C. 1. ad h. l. D. *Balduinum* h. l. Sed diſtinguendum eſt inter μετάθεσιν, *translationem* totarum aut omnium Eccleſiarum, & inter μετάθεσιν membrorum ſingulorum. Totas aut omnes Eccleſias nondum ſubverſas fuiſſe, & ideò in præſenti dici, *transferimini*, non in præterito, *translati eſtis*, libenter concedimus, & rectè obſervatum à Chryſoſtomo dicimus. Interim multa membra Eccleſiarum jam defecerant. Nam ſi nulla etiam membra ſeu individua defeciſſent, nec defectionis exempla ulla extitiſſent, quomodo dicere potuiſſet, *transferimini*? Non rectè ſanè exprobraveris Germanis: Miror, vos tam libenter bibere; aut Gallis: miror, vos adeò leves eſſe, ſi nulla ebrietatis in Germanis, nulla levitatis in Gallis exempla habueris. Num verò etiam Paulus nulla translationis ſeu defectionis exempla habuit, quando Cap. III. v. 1. ſcripſit: *quis faſcinavit vos, ut veritati non credatis*? & Cap. V. v. 4. *Abrogati eſtis à Chriſto, quotquot per legem juſtificamini.* Cæterùm (1) verbum θαυμάζω, *miror*, in variis caſibus uſurpatur. Eſt enim mirari aliquod imprudentium, qui dicere ſolent ad eventus: non putaram, miror, ſpem meam deceptam eſſe. Sed eſt aliud mirari prudentium, quod vehementer commendat facti bonitatem, aut accuſat & exaggerat iniquitatem facti. Sic ipſe Chriſtus Marc. 6. v. 6. admiratus eſt quorundam incredulitatem, quam propterea oportet fuiſſe maximè reprehenſibilem & inexcuſabilem. Contra Matth. *IIX*. v. 10. admiratus eſt fidem Centurionis, & hac ſua admiratione inſigniter eam commendavit. Apoſtolus Paulus vir fuit prudentiſſimus, adeoque ejus admiratio turpitudinem facti Galatarum non parum exaggerat. (2) Quod addit, *adeo citò*, nonnulli accipiunt de tempore converſionis, q. d. adeo citò poſt converſionem primam ad Chriſtum: Alii ad tentationem per Pſeudo-Apoſtolos referunt, q. d. adeo citò, ut vix tentati ſtatim manus dederitis. Vid. *Pareum* h. l. *Juſtinianum* h. l. Sed malumus utrumq; conjungere; quanquam poſterius rē magis exaggerat. Nam qui recens converſi ſunt, infirmiores eſſe ſolent, ut

minus

minus mirum ſit, ſi mox pervertantur: ſed qui fundati jam ſunt, turpius agunt, ſi facilè ſe perverti patiuntur. Utrumque tamen hic locum habet: Nam Galatæ, licet recens converſi eſſent, tamen egregiè fundati erant, juxta Cap. III. v. 1. quibus ob oculos Chriſtus JEſus præſcriptus. Nimirum ipſe Apoſtolus, cùm primum converteret illos, tàm egregiè eos edocuit, ut per clariſſimam doctrinam eſſent fundatiſſimi. Illi tamen egregiè fundati facilè moti ſunt, & quidem mox poſt converſionem. (3) μετατίθεσθε, *transferimini*, putant deſumtum eſſe ab arboribus, quæ de loco in locum transferuntur. Vid. D. *Hunnium* h. l. quomodo indicatur totalis lapſus, contra Calvinianos. Nimis ſubtile eſt, quod *Hieronymus* apud *Lutherum* h. l. putat, alludi ad verbum Hebræum גלה, *migravit*, & ad nomen Galatarum. A quibus verò translati ſint, ſequitur v. 7. (4) Terminus à quo translationis ſignificatur per verba, *ab eo, qui vocavit vos*, &c. quæ verba in Græciſmo non uno modo conſtruunt. Nonnulli trajectionem faciunt, ut ſcriptum ſit: ἀπὸ τοῦ καλέσαντος ὑμᾶς ἐν χάριτι Χριστοῦ, pro, ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ καλέσαντος ὑμᾶς ἐν χάριτι; ita verò vertendum: *ab eo, qui vocavit vos in gratia, Chriſto.* Quomodo etiam *Lutherus* in Comm. h. l. mavult. Sed alii faciunt conſtructionem ſubſtantivi cum ſubſtantivo, & ordinem verborum relinqunt. Ita B. *Lutheri* verſio: Von dem/ der euch berüffen hat in die Gnade Chriſti. Quam verſionem nos retinemus; quanquam etiam B. *Lutherus* in Commentario prioris ſententiæ optimū facit ſenſum; & eandem ſequitur D. *Hunnius* h. l. *Genevenſes, Diodatus* h. l. *Eraſm. Schmidius, Syrus, Arabs, Eraſm. Roterodam.* B. *Hieronymus.* Prior tamen ſententia non pauciores habet autores, ſed in ea tameñ iterum quæritur: quis ſit ille vocans? Plerique intelligunt DEum Patrem: at D. *Balduinus*, Paulum; q. d. à me, qui vocavi vos, &c. Sed hoc nimis ambitioſum videtur; nec meminimus, in ſcriptura ſacra vocationem homini ſimpliciter attribui, etſi miniſter illius ſit. Quare nos quidem malumus DEum Patrem cum aliis, h. m: Ab eo, qui vocavit vos in gratia Chriſti, h. e. DEO Patre. Quod etiam optimum uſum habet; nam inde habetur, quod, qui amittit Chriſtum, Patrem etiam amittat. Galatæ diſceſſerunt à gratia Chriſti: ideo Paulus dicit, quod ſimul à DEO Patre receſſerint & translati ſint. Sic & aliàs opus vocationis Deo Patri adſcribi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

ſcribitur, Rom. IIX. 30. 1. Cor. 1. v. 9. & alibi. Conf. *Eſtium* & *Juſtinian.* h. l. Sed hîc (5) ſenſus phraſeos καλέσαντος ἐν χάριτι χριστοῦ, *qui vocavit vos in gratia Chriſti*, probè notandus eſt; nam in hâc ſtatus totius Epiſtolæ continetur. Vocabulô χάριτι, *gratiâ*, omninò inſinuatur antitheſis, quæ per totam Epiſtolam ab Apoſtolo inſtituitur, ad legem, opera, & merita propria. Benè hoc obſervavit B. *Lutherus* his verbis: *Qui vocavit vos, non ad legem, opera, peccatum, iram, damnationem, ut Moſes, ſed ad meram gratiam.* Quam oppoſitionem etiam Pontificii non poſſunt negare inſinuari. Vid. *Juſtinianum* h. l. qui per gratiam intelligit omnia beneficia, quæ gratuitò fidelibus per Chriſtum conferuntur. *Eſtius* quoque gratuita Chriſti beneficia, aut meritum Chriſti gratuitò applicatum, intelligit; ſed antequam res conficiatur, præpoſitio ἐν, *in*, conſiderationem meretur. Hanc alii ſumunt pro εἰς, *in*, vel *ad*, qui vocavit vos in gratiam, vel ad gratiam. Ita *Vulgatus*: quem etiam B *Lutherus* ſecutus eſt, itemque *Beza* h. l. Sed Pontificii, qui Vulgato aliàs inhærent, obſervant tamen, quod in Græco omninò ſit, ἐν χάριτι, *in gratia*; non εἰς χάριν, *in* vel *ad gratiam.* Quanquam itaque bonum ſenſum habere poteſt, ut ſignificetur vocatio ad participationem gratiæ Chriſti, melius tamen aliis videtur retineri literam, ut ἐν pro ſe ipſo ſtet, non pro εἰς. Sed tum ferè ἐν accipiunt pro *per*, qui vocavit vos per gratiam. Ita *Genevenſes*, *Diodatus*, & alii. Conf. *Eſtium* h. l. Ita & *Tremellius* vertit Syrum, quod tamen non probamus. Non incommodum hoc eſt, conf. v 15. malumus tamen retinere τὸ *in gratia Chriſti*, cum Syro & Arabe. Hac ratione autem modus vocandi ſignificatur, qui eſt gratuitus ſeu gratuiti favoris, quo Deus ſe quaſi induit, ut in illo ardens, vocet. Vocatur autem gratia Chriſti, quia eſt eadem gratia Chriſti & Dei Patris, & Dei Patris gratia extra Chriſtum quærenda non eſt. Gratia autem Chriſti eſt gratuitus ipſius favor, quo nobis favet & benefacit propter ſuum meritum pro nobis ſatisfactorium. Et procul dubio ſtudiô ſic locutus eſt Paulus, ne aliam gratiam Patris fingamus, & extra Chriſtum fingamus. Jam itaque dicimus, quod gratia Chriſti hoc loco nihil aliud ſit, quàm favor gratuitus, & amor beneficus, quo nos ob meritum ſuum amplectitur, atque adeò, qui fundamentum habet in ipſo, non in nobis & noſtris meritis; in quo favore etiam vocat

Pater,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

Pater, dum ex gratuito favore itidem in ſolo merito Chriſti fundato vocat; quomodo favor Chriſti & Patris unus eſt. Vocatio verò non notat tantùm externam Evangelii prædicationem, ſed & internam fidei operationem, remiſſionem peccatorum, ſeu juſtificationem, & quæcunque requiruntur eò usque, ut homo ſit in ſtatu vocatorum juxta propoſitum DEI, Rom. IIX. v. 28. Apoſtolus infra Cap. III. v. 2. vocat: Accipere Spiritum ex auditu fidei, v. 3. Incipere Spiritu, v. 5. Subminiſtrare Spiritum, & operari virtutes in hominibus. Unde conſtare poteſt, quid notet phraſis, *vocare in gratia Chriſti*: nimirum, dare verbum Evangelii, per hoc Spiritum ſanctum, fidem, remiſſionem peccatorum, adoptionem, & jus filiorum Dei, &c. ex mero favore gratuito, ſeu gratia puriſſima movente & agente, in ſolo Chriſti merito fundata, non in ullis noſtris operibus. Jam (6) terminus ad quem μεταθέσεως ſeu translationis eſt ἕτερον εὐαγγέλιον, *aliud Evangelium*. Hoc aliud Evangelium eſt priori oppoſitum, atque adeò ſic aliud, ut ſit contrarium: id nimirum, quod Paulus in tota hac Epiſtola impugnat, quo dicitur, nos per legem, per legis opera, per noſtra opera juſtificari & ſalvari. Conf. Cap. III. 2. 5. Hoc vocat, juxta Interpretes, *Evangelium*, cum non ſit Evangelium, juxta v. ſeq. vel δοξαστικῶς, quia Galatæ putabant, eſſe aliud Evangelium; vel μιμητικῶς, quia Pſeudo-Apoſtoli pro Evangelio obtrudebant. Verùm enim verò nec Galatæ nec Pſeudo-Apoſtoli habebant pro alio Evangelio, quaſi Pauli Evangelium etiam habuerint pro vero Evangelio. Arbitramur itaque potius, Paulum vocare *aliud Evangelium* per conſequentiam; quia, ſi verum eſſet, quod Pſeudo-Apoſtoli garriebant, iſtam doctrinam eſſe veram & Chriſti, ſequeretur, aliud eſſe Evangelium, præter id, quod Paulus prædicaverat. Ex qua conſequentia in ſe abſurda, mox Apoſtolus iſtam ipſam doctrinam impugnat, v. ſeqq. & non veram eſſe probat. Apoſtolus namque ponit, ſuum Evangelium verum eſſe. Quod ergò Evangelium Pauli eſt? Id, quod dixerat, *ab eo, qui vocavit vos in gratia Chriſti*. Unde apparet, verba ita accipienda eſſe: Miror, quod adeò citò transponamini à meo Evangelio, per quod Deus Pater dicitur vocare, & re verâ etiam vocat in gratia Chriſti, atque adeò ab ipſo Patre, qui vocavit vos in gratia Chriſti, in aliam doctrinam, qua Deus nos per legem & opera noſtra ſalvare dicitur; quæ ſi vera eſſet, ſequeretur, eſſe aliud Evangelium præter meum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

um, quandoquidem idem cum meo iſtud eſſe prorſus nequit, cùm ſint ἀσύςατα: hoc verò abſurdum eſt.

V. 7.

Quod non eſt aliud, &c.) Eſt hîc (1) repetenda vox *Evangelii* h. m. Quod non eſt aliud, ſcilicet Evangelium. Alii apud Juſtinianum h. l. τὸ ἄλλο, *aliud*, ſubſtantivè accipiunt, q. d. quod non eſt alia res. *Marcion* ineptè concluſit hinc, unum tantùm eſſe librum Evangelii, Lucæ ſcilicet, cùm Apoſtolus de doctrina, non de libro loquatur. Vid. eund. *Juſtin.* h. l. Eſt (2) conſtructionis variatio ſeu inflexio: *quod non eſt aliud; ſed quidam ſunt*, &c. pro, *quod non eſt aliud Evangelium, ſed perverſio tantum quædam Evangelii Chriſti*, à nonnullis, qui conturbant vos. (3) τὸ, ἐι μὴ, Vulgatus quidem vertit per *niſi*; ſed obſervant etiam Pontificii interpretes, quod ſit pro, *ſed.* ut aliàs in Scripturâ ſæpiſſimè Vid *Eſtium* h. l. Et in aliis quoque linguis *niſi* pro *ſed* ſumitur. Ita à Germaniſmo non eſt alienum, in quo etiam B. *Lutherus* reddidit, ohne daß etliche ſind. Originem habet locutio ex brevitate. Nam pro eo, quod dicendum eſſet: quod non eſt aliud Evangelium, nec quicquam aliud, niſi quod quidam ſunt, &c. ſeu, *niſi perverſio.* Jam (4) ab initio verſus adverſativa ſupplenda eſt, vi cujus argumentum opponatur Evangelio novo, quod Galatis à Pſeudo-Apoſtolis obtrudebatur h. m. *Atqui non eſt aliud* &c. Ita B. *Lutherus:* So doch kein anders iſt. Quem nos malumus ſequi, quam alios, qui correctionem aliquam hic ſtatuunt. Vid. D. *Hunnius* h. l. *Eſtius* h. l. & alii. Cæterum ex oppoſitione, *quod non eſt aliud, ſed quidam ſunt*, &c. videtur Apoſtolus ſimul provocare ad catholicum Eccleſiæ conſenſum tacitè, q. d. Quod non eſt Evangelium catholicum, cui univerſa Eccleſia adhæreat, ſed tantùm quidam ſunt. Taxat nimirum ſimul, quod Pſeudo-Apoſtoli ad conſenſum Apoſtolorum & Eccleſiæ ſubdolè provocabant, quaſi ipſorum doctrina eſſet doctrina Eccleſiæ catholica. Dicit (5) *Et volunt pervertere*: Quia Evangelium re verâ perverti non poteſt, ſed eſt verbum DEI manens in æternum, licet quidam ſint, qui libenter aliud eſſe vellent, & facerent. Conf. B. *Lutherum* h. l. *Eſtium* h. l. Interim re verâ & actu Galatas conturbarunt, i. e. turbas excitarunt, ut alii contra alios ſentirent & ſtarent in doctrina, & multi neſcirent, quid credendum eſſet.

V. 8. 9.

V. 8. 9.

Sed & ſi nos, &c.) (1) Duobus his verſibus idem bis dicitur, mutatis tantùm paulisper verbis; ſicut Apoſtolus ipſe dicit: *ſicut modò diximus, etiamnum iterum dico.* Quæ repetitio magnam habet emphaſin. (2) Variatio quoq; verborum hunc habet uſum, ut verba ſe invicem interpretentur. Ita primò dicit: *Si nos, aut angelus è cœlo*; mox verò, *ſi quis*; q. d. priori loco, ſi ego aut Angelus de cœlo, nedum quicunque alius; poſteriori verò, ſi quis, ne nobis quidem aut Angelo è cœlo excepto. Cæterùm (3) Apoſtolum argumentum ſumere ab impoſſibili per comparationem, ſuprà in reſolutione dictum, q. d: Imo verò non tantùm iſtud, quod Pſeudo-doctores illi vobis obtrudunt, non eſt aliud Evangelium; ſed & ſi vel nos vel Angelus è cœlo vobis evangelizaret, præter quod evangelizavimus vobis, tamen non foret aliud Evangelium, ſed potius falſa & tam perverſa doctrina, ut propter eam cogeretur eſſe anathema: Siquidem facilius fieri poſſet, vel me Apoſtolum, vel Angelum de cœlo falli, & fieri anathema, quàm Evangelium à me prædicatum, h. e. verbum DEI, mutari, aut ei aliquid addi. Per Angelum de cœlo *Tertullianus* intelligit angelum, qui ſe mentitur ex cœlo eſſe; ſed non opus eſt. (4) ἡμεῖς *Eſtius* de ſolo Paulo, alii apud eundem de reliquis etiam Apoſtolis interpretantur, quos ille bona ratione refellit. Interim nos cum B. *Luthero* h. l. pluralem de ſolo Paulo non accipimus, ſed de ejus quoque ſynergis, quorum operá in convertendâ tàm amplâ gente uſus eſt. (5) Evangelizare putat *Eſtius* poſitum pro ſuo genere, *annunciare*; ſed nec hoc opus eſt: potius Evangelium tradere notat. Senſus ſanè eſt: ſi aliud Evangelium vobis prædicet, præter id Evangelium, quod nos prædicavimus. Vult enim docere, non dari aliud Evangelium. Cæterùm (6) diligenter notandum, τὸ παρ' ὃ, *præter quod evangelizavimus*; παρ' ὃ, *præter quod accepiſtis.* Quod nos contra traditiones ſcripturæ aſſutas urgemus, & contra Pontificis Romani nova decreta. Argumentum noſtrum hoc eſt: *Præter quod Evangelium nullum poteſt dari aliud, illi nihil poteſt addi, ſive traditionum, ſive novorum decretorum, ne ab Angelo quidem, & Apoſtolo, nedum à Pontifice Romano, & quovis alio. Atqui præter Evangelium à Paulo Galatis prædicatum*, &c. *Ergo.* Jam verò porrò Evangelium Pauli eſt illud ipſum, quod ſcriptum eſt in Scriptura ſacra, juxta Act. XXVI. 22.

Ergò

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,292 4° 1516

Ergò Evangelio ſcripto non poteſt addi aliquid traditionum aut novorum decretorum. Notandum autem, quod aliud Evangelium dicatur, quod etiam quoad minimam partem, ſive additam ſive detractam, aliud eſt. Ita namque Paulus aliud Evangelium accipit; cùm certum ſit, quod Evangeliū Pſeudo-Apoſtolorum non per omnia, ſed quoad nonnulla aliud à Paulino fuerit; alioqui Chriſtum prorſus negaſſent. Hic *Eſtius* in hunc locum excipit I. non poſſe τὸ παρὰ, *præter, id omne ſignificare, quod quocunq; modo diverſum ſit ab iis, quæ Galatis tradita* Nā (1) non eſſe veriſimile, quod Paulus Galatis omnia religionis myſteria, etiam ſublimiora, tradiderit, rudibus hominibus; (2) ſecuturum aliàs, quod Johannes Apoſtolus anathema incurrerit, addendo Evangelium & Apocalypſin; quin ipſe Paulus, qui & in hac & in aliis Epiſtolis ſcripſerit multa Galatis nondum tradita. (3) Dici non poſſe, Angelum de cœlo non poſſe myſterium annunciare hactenus non traditum. Excipit 2. itaque παρὰ eſſe hoc loco idem *ac contra, adverſum & contrarium non poſſe prædicari:* quomodo uſurpetur Rom. I. 26. Cap. IV. 18. Cap. XVI. 17. Verum hæ *Eſtii* exceptiones nullæ ſunt. Nam I. omninò παρὰ, *præter*, ſignificat omne id, quod quocunque modo diverſum: cum hæc ſit nativa ejus ſignificatio. Nec obſtat (1) ficta *Eſtii* veriſimilitudo, quaſi Paulus Galatis non omnia tradiderit religionis myſteria, etiam ſublimiora, quibus etiam Chriſtum ob oculos præſcripſit. Nec (2) vel Johannes vel Paulus anathema erunt, cum libros quidem novos addiderint, & verba nova, non autem res novas ad ſubſtantiam Evangelii pertinentes, & ſalutis capita. Et (3) nullus Angelus etiam novum dogma aut myſterium Evangelicum annunciare poteſt, etiamſi myſterium annunciare poſſit ad Evangelium & fidem non pertinens. II. Altera exceptio petit principium; nam in exemplis allegatis non opus eſt, ut παρὰ ſit *contra*, etiamſi ſimul poſſit eſſe *contra*; & ſi utique ita ſumeretur, eſſet tamen abuſus, ut ipſe *Juſtinianus* in h. l. vocat, ſeu κατάχρησις, à qua non valet ad noſtrum locum argumentum. Obſervarunt hæc alii ex Pontificiis, ideoque conceſſerunt, *præter* notare in noſtro loco quod volumus, atque adeò totum noſtrum argumentum principale largiti ſunt: Negarunt autem alterum, quod Pauli Evangelium Galatis prædicatum totum habeatur in ſcriptura. Sed hi conſtringuntur loco aperto Act. XXVI. 22.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

V. 10.

Num enim adhuc,&c.) Eſt (1) ellipſis particulæ interrogativæ, quæ in verſione addi omninò poteſt. (2) Aliquid difficultatis eſt in phraſi πείθειν ἀνθρώπους vel θεόν. Vulgatus vertit in dativo, *modo enim hominibus ſuadeo, an DEO?* Quomodo etiam Syrum vertit *Tremellius*, qui tamen in accuſativo etiam verti poteſt, & in hoc caſu acceptus videtur ab Arabe. *Eſtius* in hunc locum dativum defendit ex 1. Cor. V. v. 11. Sed hic eſt ſignificatio perſuadendi, quam nec *Eſtius* noſtro verſui adaptare poteſt, ſed ex Chryſoſtomo ſenſum facit: Num cauſam dico apud homines, an apud DEum? quem tamen *Juſtinianus* Jeſuita non probat, ſed dativum facit, cui uſui, q. d. Cui bono aut uſui ſuadeo? nonne DEO, & non hominibus? Nonne DEI gloriam quæro? Videtur hoc Jeſuita ſumſiſſe ex B. Lutheri verſione: Predige ich denn jetzt Menſchen oder GOtt zu Dienſt? Sed viciſſim hoc nec *Eraſmo Schmidio*, nec *Eſtio* placet. Eraſmus itaque *Schmidius* vertit; *Utrum homines ſuadendo-fidem-prædico, an DEum?* h. e. non humana ſomnia, ſed divina oracula prædico. Belgæ: *ſuadeone homines audire, an DEO confidere?* Alii de ſtudio placendi hominibus vel DEO exponunt, quemadmodum ſequitur: *Aut quæro hominibus placere?* Vid. D. *Hunnius* h. l. Iſti tamen ſenſus facilè conciliari poſſunt. Nam concedimus quidem, in accuſativo vertendum eſſe: *Num enim adhuc homines ſuadeo, an DEum?* Sed ſenſum hunc facimus: Num enim adhuc homines ſuadeo & prædico, tanquam autores meæ doctrinæ, à quibus doctrinam acceperim, & quorum in prædicando miniſter ſim; an verò DEum? Quomodo optimè probatur, quod probandum eſt, Evangelium Pauli eſſe infallibile & immutabile, quia à DEO autore ſit, & DEum autorem prædicet. Porrò autem ſequitur, quod Paulus non in gloriam hominum ſed DEI prædicet; quod non hominibus ſed DEO inſerviat & miniſtret; quod coram judice DEO prædicet, nec hominibus rationes reddendæ ſint; quod non humana, ſed divina prædicet; quod urgeat, ut DEO credatur & confidatur, non hominibus. Nec (3) emphaſis verbi πείθω, *ſuadeo*, negligenda eſt: Notat namque efficaciam verbi, ex qua judicium ferri queat, ſitne doctrina ex DEO, an ex hominibus; q. d. Num enim adhuc adeò inefficaciter ſuadeo & prædico, ut ſatis appareat, autorem doctrinæ eſſe infirmos homines? annon potius tanta

cum verbi efficacia, ut conſtare poſſit, quod autor verbi DEus ſit? ſicut Matth. VII. v. ult. dicitur: *Erat enim docens eos tanquam poteſtatem habens, & non ſicut ſcribæ.* Nam Apoſtolus hic ad conſcientias provocat, & ſimilem (4) oppoſitionem ad Phariſæorum elumbem doctrinam facit per particulam ἄρτι, *adhuc*, q. d. num adhuc, ſicut olim in Phariſaiſmo facio, in quo homines, h. e. elumbes traditiones hominum docui? Addit verò (5) *aut quæro hominibus placere?* Quod de modo prædicandi ſimul & de materia accipiendum, quam ſubminiſtrat amor placendi hominibus, q. d. aut num quæro hominibus placere ita, ut in illorum gratiam verbum DEI corrumpam, & ad palatum hominum inflectam? Ut, quemadmodum verbis præcedentibus originem verbi vindicavit, ita nunc vindicet ejus puritatem ab omni corruptione. Et hic iterum compellat conſcientias, ut examinent, num in doctrina Pauli aliquid humanam corruptelam in hominum gratiam factam ſapiat: magisque ſtringit, Evangelium à ſe prædicatum eſſe infallibile & immutabile: nam quod divinæ originis eſt, & purum DEI verbum, cui nihil humani admixtum, id ſanè immutabile eſt, nec additamentum etiam patitur. (6) Interrogationes hic vehementer negant: *Num homines ſuadeo?* &c. i. e. nullo modo hoc facio, atteſtante mihi conſcientia veſtra, ſive ſpectetis ipſam materiam prædicationis, ſive modum. Addit autem (7) rationem, quare addiderit, non quærere placere hominibus; nimirum, quia, etiam ſi hoc faceret, non foret amplius ſervus Chriſti, nedum verbum illius purum & infallibile per omnia; quo ſimul videtur acutè pungere Pſeudo-Apoſtolos, qui hoc ipſum faciebant. Confer *B. Lutherum*, h. l. Alios hujus particulæ ſenſus habebis apud *Eſtium* h. l. quos præterimus. Ellipſis autem eſt: *Aut quæro hominibus placere, & non potius DEO?*

V. 11.

Notum verò facio vobis, &c.) Nolumus cohærentiam prolixius repetere, quam in reſolutione dedimus. Probare nimirum Paulus inſtituit, quod non homines ſuadeat, ſed DEum, nec hominibus quærat placere, ſed DEO, per longam narrationem converſionis ſuæ, & geſti Apoſtolatus. Phraſis (1) γνωρίζω δὲ ὑμῖν, *notum autem facio vobis*, à Paulo uſurpatur, quando prolixius aliquid narrare, docere, probare vult. Vid. 1. Cor. 12. v. 3. 1. Cor. 15. v. 1. 2. Cor. 8. v. 1. q. d. Notum

tum autem vobis facio prolixiori probatione à converſione mea & geſto Apoſtolatu ſumta, quod Evangelium à me prædicatum non ſit ſecundum hominem. (2) Κατὰ ἄνθρωπον, *ſecundum hominem*, complectitur utrumque antecedens, originem & interpolationem ſeu corruptionem. Nimirum Evangelium Pauli non eſt ſecundum hominem, neque tanquam autorem, neque tanquam interpolatorem. Includit autem Apoſtolus ſeipſum, quod nec ipſe vel finxerit, vel interpolaverit, atque addiderit aliquid. Aliqui hoc de miniſtro revelationis exponunt. Vid. B. *Lutherum* h. l. & *Eſtium* h. l.

V. 12.

Neq; enim ego ab homine, &c.) Non obſcura hæc ſunt. Breviter (1) τὸ παρὰ ἀνθρώπου eſt repetendum hoc modo: Neque ab homine accepi, neque ab homine didici: Sicut (2) verba παρέλαβον & ἐδιδάχθην repetenda etiam ſunt: *neque ab homine accepi*, neq; ab homine didici, ſed *ſc. accepi ſimul & didici* per revelationem JEſu Chriſti. (3) Beatus *Hieronymus* accipere & diſcere ita diſtinguit, ut prius notet primum initium, poſterius incrementum. *Eſtius* h. l. vult, unum idemque eſſe; ſed melior eſt *Hieronymus*. Nam Apoſtolus vult docere, quod per unicam Chriſti immediatam revelationem, ſcilicet in via Damaſcena, Act. 9. (confer D. *Hunnium* h. l. prolixiorem verò diſputationem de hâc vide apud *Eſtium*, h. l.) perfectus Doctor & Apoſtolus factus ſit, ita ut non amplius opus habuerit diſcere à quopiam. Atque hoc eſt, quod infrà inculcat, non contuliſſe ſe carni & ſanguini, nec ſibi additum aliquid à ſummis Apoſtolis v. 16. & Cap. II. v. 6. Utrumque quidem etiam uno verbo *accipere* dici potuiſſet, ſed Paulus voluit per duo diſtincta verba rem clariorem reddere. Oportet autem iterum JEſum Chriſtum eſſe verum DEum, cum ejus revelatio omni humanæ opponatur. Vid. B. *Hieron. Luth.* h. l.

V. 13. 14.

... verba oſtendunt, quod non acceperit primum Evangelii initium ab hominibus, nec etiam ſe ipſo; Nam Doctores Judæos habuit, & ipſe Judaiſmi zelotes fuit ... cogitavit, quam Judaiſmo contrariam ... primò profecit in Judaiſmo, & poten... (2) dicere ὕστερον πρότερον ... factus eſt ... tes, deinde perſecutus eſt Eccleſiam; Sed non obſervat ordi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

ordinem temporis & rei geſtæ, ſed ordinem & vim argumentorum & deſcriptionis, q. d. primò non favi unquam Chriſtianiſmo, ſed perſecutus ſum, tanquam Judæus zelotes: nec fui communis zelotes, ſed inter coætaneos inſignis, ſicut magis etiam profeci, quàm illi. Cæterum (3) per paternas traditiones intelligit *B. Luth.* h. l. Legem ipſam ſanctam; & rectè: ſed in ſenſu Judaico acceptam (quomodo traditiones humanæ jam includuntur) & cum opinione, quaſi poſſimus per eam juſtificari. Conf. D. *Hunn.* h. l.

V. 15. 16. 17.

Cum autem beneplacuit, &c.) Trium horum verſuum constructio continua eſt. Docetur autem, quod non didicerit Apoſtolus quicquam ab aliis poſt converſionem: quippe poſtquam ſtatim prædicare cœperit, quod adhuc prædicet, in Arabia & Damaſco. Sunt autem (1) omnia in v. 15. accommodata ad commendandam puram, non tamen abſolutam, gratiam DEI; nam & ſeparatio ab utero, & vocatio in tempore facta eſt per gratiam DEI. Siquidem repetendum eſt τὸ *per gratiam ſuam* h. m: qui ſeparavit me ab utero matris per gratiam ſuam, & vocavit per gratiam ſuam. *Separatio* autem *ex utero* notat æternum DEI decretum, omne ſc. tempus, latè voce accepta, quod uterum matris anteceſſit, non ad nativitatem, ut aliqui apud *Eſtium* h. l. ſed ad Chriſtum, ſeu id, quod ſequitur, *ut revelaret in illo Chriſtum: Vocatio,* natus in tempore per converſionem: *Gratia* nulla alia eſt, quam gratia Chriſti, quæ etiam in æterno DEI conſilio ſuum momentum habuit. (2) Ἐν ἐμοὶ v. 16. interpretantur ferè *per me*, ut intelligatur revelatio per miniſterium Pauli; *vid. Eſtium* h. l. ſed nos cum aliis & B. *Luth.* h. l. de converſione Pauli accipimus, ita factâ, ut DEus in Paulo potenter, ſubitò, gratioſiſſimè per Chriſtum converſo manifeſtaret omnibus, quantum Chriſti potentia & gratia poſſet. Conf. 1. Tim. 1. v. 16. Q. d. Poſtquam autem placuit DEO, tam potenter, revelando mihi in me filium ſuum, convertere, ut poſſem & deb[illegible] evangelizare inter gentes &c. (3) Eode[illegible] verſu *carnem & ſanguinem* interpret[illegible] ferè de homine, non quatenus corruptus, ſed quat. DEI miniſter, quaſi *Eſtium* h. l. [illegible] docere, ſe nihil miniſterio hominum didiciſſe; vid. Pauli ſive aliorum accipere: ut Paulus dicat, [illegible] carne & ſanguine corrupti[illegible] [illegible] quod a[illegible] revelationem Chriſti acceperit, non contuliſſe, addidi[illegible] commiſcuiſſe

cum

cum eo, quod corruptio carnis & ſanguinis ſuggerit, atque ſic per aſſumenta humana non corrupiſſe, ut quicquam originis humanæ ſit; quod etiam ferè B. *Hieronymus* vult: vid. *Eſt.* h. l. Deinde (4) addit, ſe nihil miniſterio hominum, ne Apoſtolorum quidem, profeciſſe v. 17. (5) Notetur τὸ ἐν ἔθνεσιν: Nam Paulus defendit Evangelium inter gentes prædicatum.

V. 18. 19. 20.

Deinde poſt annos tres, &c.) Continuat poſterius, quod nihil miniſterio hominum, ne Apoſtolorum quidem, didicerit poſt reditum in Damaſcum, h. eſt, poſt tres annos, quibus ſemper tamen prædicaverit, adeò, ut ne quidem quando Hieroſolymam aſcendit: quia non diſcendi, ſed *videndi* Petri cauſa aſcenderit, & præter illum atque Jacobum non viderit alium Apoſtolum, neque manſerit ibi, niſi 15 dies. Et ut hoc ipſi credatur, nec ſuſpicetur aliquis ſecius quid, ſanctum juramentum interponit. Agnoſcunt hoc Pontificii, (vid. *Eſtius* h. l.) agnovit B. *Hieronymus*, *in Comment.* h. l. quicquid etiam dicat ad Paulinum, quaſi Paulus his 15. diebus aliquid à Petro didicerit. Vid. *eundem Eſtium* h. l. & præcipuè B. *Luth.* h. l. Cæterum ἱςορῆσαι annotant ſignificare, non quomodocunque videre, ſed ut excellentem & egregium; unde etiam ſolent vertere, *viſere*, *inviſere*, quomodo & Eraſmus Schmidius vertit. D. *Hunnio* eſt, res à ſe geſtas exponere, eaque ratione notitiam contrahere.

V. 21. 22. 23. 24.

Deinde veni, &c.) Continuat Paulus exponere, quod per miniſterium hominum nihil poſt converſionem didicerit, quod benè etjam Interpretes obſervant & B. *Lutherus*. Sed D. *Hunnius* h. l. putat dicere, quod à Judaicis Eccleſiis nihil didicerit, quippe quibus ne notus quidem, niſi ex fama, fuerit. At B. *Lutherus* putat, quod provocet Apoſtolus ad teſtimonium iſtarum Eccleſiarum, quod ſc. ſic prædicaverit, ut teſtimonium illarum meruerit. Quo contendit etiam *Eſtius*. (1) ſup- [illegible] Syriæ, Ciliciæ, Act. 9, 30. c. 11, 25. 26. & cætera ſeu, & deinceps in alias regiones, in quibus me prædicaſſe notum eſt, usq; ad 14 annum: (2) Addi, quod interea temporis adeò non redierit Hieroſolymam, & quidem ad Eccleſias Judaicas, ad diſcendum ali-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

quid ab Apoſtolis in illis verſantibus, ut etiam ignotus manſerit Eccleſiis Judaicis, h. e. in Judæâ exiſtentibus, ſed Chriſtianis; q. d: Deinde veni in Syriam, Ciliciam, &c. ita ut Eccleſiis Judææ prorſus ignotus manerem facie, nedum ut tamdiu in iis verſatus ſim, ut aliquid diſcere ab Apoſtolis earum potuerim; creverim verò inter gentes inſigniter, & fama etiam implerem Judæam.

Caput II.

Analyſis.

Capitis hujus analyſis facilior nobis redditur per capitis primi analyſin, quam ſuo jam loco habuimus. Juxta illam jam Capitis hujus facimus duas partes. Prima continuat *hiſtoricam converſionis & primæ revelationis Paulo factæ, totiusque prædicationis Evangelicæ ab ipſo peractæ, narrationem*, usque ad v. 17. Et cum hujus narrationis jam in capite primo habuerimus tria membra, I. *vitam Pauli, ante converſionem* actam; II. ipſam *Pauli converſionem*; III. *officii Apoſtolici, poſt converſionem, executionem*: Jam pars hujus capitis prior addit duo membra; quartum nimirum, & quintum. Itaque membrum narrationis dictæ IV. eſt Evangelii à Paulo inter gentes prædicati cum Apoſtolis & Eccleſiâ Hieroſolymitanâ collatio. Quæ facta eſt 1. ratione *temporis* poſt annos quatuordecim: qui quomodo numerandi, in exegeſi dicetur, v. 1. 2. Ratione *loci*, Hieroſolymis, quo rurſus Paulus poſt converſionem pervenit, ibid. 3. Ratione *autoris* ſeu cauſæ efficientis, inſtituentis & mandantis, ex mandato divino ſingularem per revelationem dato, v. 2. 4. Ratione *ſubjectorum* ſeu perſonarum conferentium, inter ab *unâ* parte Paulum, Barnabam, & Titum, quorum tamen facile princeps fuit Paulus, v. 1: [illegible] Jacobum, & Johannem, inter eos, qui videbantur aliquid eſſe, h. e. Petrum quos etiam falſi fratres erant, v. 2. 6. 9 & 4. 5. Ratione *materiæ*; ſuper Evangelio à Paulo inter gentes prædicato, v. 2. 6. Ratione *formæ*; partim *amicè*, cum Apoſtolis v. 2. 6. ſeqq. partim *contentioſè*, cum falſis fratribus v. 4. 5. ſed ex parte Pauli *victorioſè* v. 5. 7. Ratione *finis*;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

finis; ne Paulus in vanum cucurriſſet, aut poſtea curreret, nec in curſu ſuo optimo impediretur, aut fruſtraretur, v. 2. Vel, ut veritas Evangelii permaneret ſalva, v. 5. Reſpectu verò falſorum fratrum, ut ſervituti ſubjicerent Paulum cum gentilibus fratribus, v. 4. 8. Ratione *effectûs*, tam Evangelio quàm Paulo exoptatiſſimi. Effectus autem alii ſunt *SPECIALES*; iique vel *negativi*, nimirum (1) quod Paulo ne quidem à ſummis Apoſtolis quicquam additum, adeoque ab his ille nihil prorſus didicerit, v. 6. Ubi obiter objectioni occurritur, non differre, quales olim ipſi fuerint, cum DEus non ſit acceptator perſonarum. ibid. (2) quod Titus non eſt coactus circumcidi, v. 3: Vel *affirmativus*, dextrarum communionis conjunctio, v. 9: facta (α) ſuper hoc, ut *Paulus inter gentes*; *Petrus*, *Johannes*, & *Jacobus inter Judæos prædicarent*, v. 9. Ex *bonis* (β) *rationibus*; *partim* ſc. quia videbant, Paulo concreditum eſſe Evangelium præputii, ſicut Petro circumciſionis, v. 7. argumento ex cooperatione divina, v. 8. *partim*, quia agnoſcebant gratiam Paulo datam ſingularem, v. 9. Cum (γ) *petitione*, ut Paulus memor eſſet pauperum ex Judæis fidelium, v. 10. quod & fideliſſime fecit, ibid. Alius *GENERALIS*, Evangelii à Paulo jam olim prædicati vindicatio, & teſtimonium oecumenicum. Membrum V. eſt *Evangelii à Paulo inter gentes prædicati contra Petri ſcandalum defenſio.* Circa quæ notandus eſt 1. *locus*; Antiochia v. 11. 2. *Factum Petri* ſcandaloſum: cujus (1) *occaſio*, adventus fratrum Hieroſolymitanorum, v. 12. (2) *Materiale*, ſubductio à fratribus gentilibus, cum quibus prius comederat, ibid. (3) *Formale*, hypocriſis condemnabilis, pugnans cum veritate Evangelii, v. 11. 13. 14. (4) *Cauſa impulſiva*; timor eorum, qui ex circumciſione erant, v. 12. (5) *Effectus*; *tum* hypocriſis reliquorum Judæorum, v. 13. *tum* ipſius Barnabæ in communionem hypocriſeos abſtractio, ibid. *tum* inprimis fidelium gentilium perturbatio, & ad Judaiſmum quodammodo coactio, v. 14. 3. *Maſcula Pauli reſiſtentia*; facta (1) *apertè* & contra faciem, v. 11. & coram omnibus, v. 14. (2) *juſtè*; nam Petrus erat accuſatus & condemnabilis, v. 11. (3) *ſapienter*, cum optimis rationibus, quarũ 1ma *à facto Petri antecedaneo*, quod ipſe prius ethnicè cũ Ethnicis vixiſſet, non facturus, niſi in Sp. S. certus fuiſſet, quod liceret. v. 14. 2da *à communi omnium ex Judæis natis converſorum fide*; dum in

Chri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

Chriſtum JEſum crediderunt, ut juſtificarentur ex fide, & non ex operibus v. 15.16. 3tia à *Legis in juſtificando impotentia*, propter quam ex ejus operibus non juſtificatur ulla caro. ibid. 4ta *ab unica Evangelii & fidei in Chriſtum JEſum in juſtificando virtute*; tanquam de quâ certò ſcimus, non juſtificari hominem ex operibus legis, ſed per fidem JEſu Chriſti, v. 16. Ex inſtituta itaque hactenus narratione Paulina ſatis apparet, quod Paulus nec acceperit, nec didicerit quicquam ab hominibus.

Jam ſecunda hujus capitis pars continet *objectionis ſolutionem*. Objectio I. eſt contra Evangelium Pauli, occaſione rationis ab impotentia legis in juſtificando ſumtæ. Nam vi hujus rationis ſequitur, *quod omnes in Chriſto fideles ſint imperfecti, & opera eorum imperfecta*: quia, niſi imperfecta forent, mererentur aliquid ſecundum legem. II. Deducit ad abſurdum. Forma ejus hypothetica, prout à verbis textus ſubminiſtratur, hæc eſt: *Si quærentes juſtificari in Chriſto deprehendimur etiam ipſi peccatores, ſequitur, quod Chriſtus peccati miniſter ſit. Atqui prius eſt, ſecundum Evangelium Pauli, dum dicit, quod ob imperfectionem operum noſtrorum adhuc peccatores ſimus, nec legem implere queamus atque adeò per legis opera non poſſimus juſtificari. Ergò & poſterius. Atqui hoc eſt abſurdum. E. falſam erit Pauli Evangelium*. v. 17. III. *ſolvitur* à Paulo 1. *opponendo* viciſſim *abſurdum*, quod ex doctrina pſeudo-doctorum ſequatur: *Si per legem eſt juſtitia, Chriſtus fruſtra mortuus eſt. Atqui prius eſt*, juxta pſeudo-doctores. *E. & poſterius*. Hoc verò eſt abſurdum: E. illorum doctrina falſa eſt. v. ult. 2. *diſtinguendo* ἁμαρτωλὸν ſeu *peccatorem*: qui *vel malitioſus* eſt, ædificans rurſus, quæ deſtruxerat; de quo negatur ſubſumtio conceſſa conſequentia propoſitionis, v. 18. vel eſt *infirmus ob imperfectionem*, de quo negatur conſequentia, conceſsâ ſubſumtione. Ratio negandi eſt, quia legi mortuus eſt per ſatisfactionem Chriſti, & cætera vivit DEO, & Chriſtus in ipſo, ut Chriſtus eum non faciat peccatorem, v. 18. 19. 20.

Exegeſis.

V. 1.

Deinde poſt quatuordecim annos, &c.) Cohærentiam hujus verſus cum cap. I. oſtendit analyſis. Quiſnam *Barnabas*, quis *Titus*,

tum

tum ex Actis, c. 4, 36. tum ex Epiſtolis Pauli conſtat. Fuit autem Titus, ut mox ipſe Apoſtolus dicet, gentilis & incircumciſus: unde benè notat *Eſtius*, magnam cauſæ ſuæ fuiſſe Apoſtolo fiduciam, ut etiam auſus ſit, eum ſecum ſumere, ſuper quo cum aliis lis futura erat. Tantum nimirum abeſt, ut de veritate Evangelii ſui Apoſtolus dubitaverit. Cæterùm duæ ad h. v. quæſtiones exercent interpretes: quæ verò, quia ſunt hiſtoricæ, & rem ipſam parum juvant vel remorantur, nos quoque non diu detinebunt. Eſt autem Quæſtio *I, quomodo anni quatuordecim ſint numerandi*? Nam *aliqui initium illorum ponunt in fine trium annorum*, quorum Cap. I. v. 18. facta eſt mentio, ita ut hi quatuordecim anni cum tribus iſtis faciant annos ſeptendecim, & hic aſcenſus Pauli factus ſit vel anno poſt converſionem decimo ſeptimo currente, vel plenè elapſo. Ita B. *Hieronymus*, B. *Lutherus*, *Hunnius*, *Balduinus*, *Pareus*, *Belgæ* & alii. *Alii* verò *initium* horum quatuordecim annorum faciunt *converſionem Pauli*, ut initium trium annorum Cap. I. v. 18. & initium horum quatuordecim ſit unum & idem. Ita *Beda*, *Baronius*, *Eſtius*, *Juſtinianus* & *alii* in h. l. Sunt verò etiam nonnulli, qui à reſurrectione Chriſti, vel inſecutâ primâ N. T. Pentecoſte numerant. Pro quâ ſententiâ *Ludov. Capellus* utitur violento remedio, textũ corruptum eſſe, & pro διὰ τεσσάρων, *poſt quatuor*, ſcriptum eſſe, διὰ δεκατεσσάρων, *poſt quatuordecim* annos, culpâ librarii. At *Ludov. de Dieu* τὸ διὰ exponit *ante*; ante quatuordecim annos, quam ſc. hæc epiſtola ad Galatas ſcripta eſt. Alii ſunt, qui rem in medio relinquunt, quod & nos, ut prolixitatem vitemus, faciemus hic potius, quam examinemus ſententias. Interim hoc non obſcurum videtur, quod nexus textus hujus epiſtolæ magis ſit pro primâ, quàm cæteris ſentẽtiis. Quæſtio IIda eſt, cùm Paulus aliquoties Hieroſolymam aſcenderit, *quinam aſcenſus h. l. intelligendus ſit?* Aliquoties Paulum aſcendiſſe Hieroſolymam, eſt extra omnem controverſiam. Nam *duo*, quorum in hâc epiſtolâ meminit, indubii ſunt: quos etiam extra omne dubium ſecutus eſt ille Act. XXI. ubi Paulus Hieroſolymis captus eſt. His verò tribus aſcenſibus rectiſſimè addunt *quartum* ex Act. XI. v. ult. & Cap. XII. v. ult. *Quintum* colligunt etiam nonnulli ex Act. XIIX. v. 21. 22. Sunt & qui alium faciunt, dum Paulus in Arabiam abiturus Hieroſolymã pertranſiverit, Act. XXII, 17. non autẽ ibi commoratus;

unde & hîc ab Apoſtolo omiſſus ſit. Non prætereundus eſt ille, qui negari etiam non poteſt, Act. XV. ad ſynodum Hieroſolymitanã, ut vocatur. Et alter, qui eſt Act. IX, v. 26. Quæſtio autem hoc vult noſtra: Nũ aſcenſus hujus loci ſit ab omnibus aliis diſtinctus, an verò idem cum aliquo ex iis, qui in Actis habentur, ſicut is, cujus meminit Paulus Cap. I. v. 18. habetur pro eo, qui eſt Act. IX.? Sunt quidam, quibus videtur aſcenſus peculiaris, quem Lucas in Actis prætermiſerit: quò etiam videtur inclinare B. *Lutherus* in h. l. *Chryſoſtomus*, *Hieronymus* & alii: & *Juſtinianus* Jeſuita clariùs. Alii tamen communiter exiſtimant, non eſſe à Lucâ prætermiſſum, adeoque ex indicatis aliquem. Et *Epiphanius* quidem facit illum aſcenſum, qui eſt Act. XXI. quæ ſententia prorſus non eſt probabilis. Vid. *Juſtin.* h. l. Alii illum, qui eſt Act. XI. & XII. Plerique illum, qui eſt Act. XV. Ita *Theodoretus*, *Beda*, D. *Hunnius*, *Balduinus*, *Baronius*, *Eſtius* & alii. Hanc poſtremam ſententiam nobis videri præferendam, fatemur. Nam quæ in utroque congreſſu acta ſunt, egregiè conſpirant: quæ verò diſſentire videntur, ab autoribus hujus ſententiæ ſunt ſoluta. Sed, *inquis*, hâc ratione non habebimus ſecundum Pauli aſcenſum, ſed ad minimum tertium. Nam tres aſcenſus, qui habentur Act. IX. XI. & XV. ſine dubio ſunt diſtincti: & ſi hic noſter idem ſit cum illo Act. XV. oportet eſſe tertium. Sed reſpondetur 1. ἔπειτα, *deinde*, eſt tantum *ordinis*, ſicut cap. I. v. 18. *non* autem *numeri*. At 2. πάλιν, *iterum*, iterationem tantum dicit, & vi ejus negatur, quod hic aſcenſus fuerit omnium primus: interim non minus tertius quam ſecundus eſſe poteſt, & verti: *Deinde poſt quatuordecim annos aliâ vice aſcendi.* 3. Interim ſecundus aſcenſus eſt illorum, quorum Paulus hic facit mentionem. At, *inquis*, Paulus nullum debuit hic omittere; ſi noluit, excipi poſſe: ſi maximè nec in primo nec in tertio aſcenſu nihil didiciſti ab Apoſtolis, didiciſti tamen in ſecundo. Verum enimverò reſpondetur & hic, Paulum non habuiſſe opus, ut ſecundi aſcenſus mentionem faceret. Nam quandoquidem poſt primum aſcenſum abiit in climata Syriæ & Ciliciæ & deinceps, ita ut doceret gentes, & ſatis conſtabat, quod idem Evangelium inter gentes, & ante & poſt ſecundum aſcenſum, prædicaſſet, ceſſavit objectio ex ſecundo aſcenſu, quaſi in eo Paulus aliquid didiciſſet: quia, ſi in eo aliquid didiciſſet, non idem deinde Evangelium

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

inter gentes prædicaſſet, quod conſtabat falſum eſſe & Galatis, ad quos poſt ſecundum ante tertium aſcenſum pervenit. Quia quando hanc epiſtolam ſcripſit Paulus, ſatis conſtabat, quod adhuc dum idem, quod ab initio, prædicaret inter gentes Evangelium: ideo namque dicit v. 2. *Expoſui illis Evangelium, quod prædico inter gentes*; q. d. quod conſtat, me adhuc inter gentes prædicare. Sed tertius aſcenſus non poterat omitti. Nam ille contigit poſt Evangelium Galatis prædicatum: Evangelium autem Galatis prius prædicatum conabantur pſeudo-apoſtoli corrigere aſſutis legis operibus, & urgentes Petri aliorumque Apoſtolorum autoritatem volebant hoc, aut ſaltem ſuſpicionem movebant, quaſi Petrus & alii Apoſtoli Paulo etiam in ſynodo Hieroſolymitanâ correxiſſent Evangelium, adeoq; omninò corrigendum eſſet, ſicubi, ut apud Galatas, nondum eſſet correctum, ſive correctum vellet Paulus, ſive nollet. Hic itaque Paulus docere debuit maximè, in iſtoc tertio aſcenſu nihil ſe ab Apoſtolis aut quoquam alio didiciſſe, & pſeudo-apoſtolos mentiri. Videmus itaque, quod dubium & controverſia maximè hæſerit in hoc tertio aſcenſu. Atque inde factum eſt, ut Paulus ea, quæ antegreſſa ſunt, tempora leviter perſtringeret in capite primo, & nonnulla, ut ſecundum aſcenſum, prorſus omiſerit: nunc verò in hoc tertio aſcenſu operosè immoretur, & circumſtantias ſolicitè exponat, etiam illas, quas Lucas Act. XV. non diſtinctè addidit; ut doceat, ſe nulla fraude uſum, ut reticeret aliquid eorum, quæ cum Apoſtolis acta, ne cogeretur mutare ſuum Evangelium. Itaque verſum noſtrum ſic accipimus: Deinde, ut omiſſis aliis actis plurium annorum narratione ſuperſedeam, tanquam non neceſſaria, & veniam ad id, quod maximè contra me urgeri poteſt, & à pſeudo-apoſtolis urgetur, poſt 14. annos iterum aſcendi Hieroſolymam &c. Obiter notamus, præpoſitionem διὰ hic eſſe idem cum *μετὰ*, *poſt*; & alibi etiam [illegible] *Schmidius* h. l.

V. 2.

Aſcendi verò ſecundum revelationem, &c.) Sunt nonnulli, apud *Eſtium* h. l. qui revelationem h. l. [illegible] cap. 1. v. 22. Atqui illa [illegible] quâ Evangelium didicerat, nihil de aſcenſione in Hieroſolymam habet; & ſi haberet, non magis pertineret ad primam & alias aſcenſiones, quam hanc. Rectè itaque

que communiter intelligunt *ſingularem revelationem*, quâ expreſsè monitus eſt Apoſtolus, ut Hieroſolymam aſcenderet, & Evangelium ſuum exponeret. Vid. B. *Luth.* h. l. *Eſtius* h. l. & *alii*. Κατὰ, verò, *ſecundum*, obedientiæ nota eſt; q. d. Aſcendi obediens factus viſioni id mandanti & normam agendorum oſtendenti. Atqui Act. *XV*. non fit mentio revelationis aut mandati divini, ſed Eccleſiæ ita ordinantis. Ergò non eſt eadem profectio. ℟. Malè opponuntur invicem mandatum divinum & ordinatio Eccleſiæ; dicendum potius, ordinationem Eccleſiæ ſupponere mandatum divinum: nimirum ita ordinavit Eccleſia, quia Deus, velle ſe, revelavit. Conf. Act. XIII. v. 2. 3. D. *Hunnius* putat, per revelationem fuiſſe ordinationem Eccleſiæ confirmatam. Conf. Eſtius h. l. Sed quare Paulus non potius fecit mentionem ordinantis Eccleſiæ, quam revelationis divinæ, ſicut Lucas? B. *Lutherus* reſpondet: niſi admonitus fuiſſet, non aſcendiſſet, ut nimirum oſtendat, non aſcendiſſe ex diſcendi cupidine. Benè! Amplius tamen quid dici putamus; nimirum revelationem non de ſolo aſcenſu factam, ſed de omnibus iis, quæ agenda eſſent. Unde ſequitur, quod in omnibus, quæ acta ſunt, Paulus nihil ab Apoſtolis vel acceperit, vel didicerit, ſed omnia ex divina revelatione habuerit, & totius negotii autor ſecundarius ille fuerit: ut rectius dicatur ille Concilium Hieroſolymitanum convocaſſe, quam Petrus. Repetere itaque poſſumus: *Aſcendi autem juxta revelationem, & expoſui Evangelium juxta revelationem*, &c. Juxta verò etiam hanc revelationem procul dubio ſecum ſumſit Titum incircumciſum. Dicit II. Paulus, καὶ ἀνεθέμην illis Evangelium: quod alii vertunt, *& contuli*, alii verò, *& expoſui*. B. *Luth* Und beſprach mich mit ihnen: *Pareus* in h. l. *Græcis, obſervante Hieronymo, eſt, ea quæ novimus conferre cum amico, & quaſi in ſinum ejus & conſcientiam reponere, ut pari conſilio vel probanda ſint vel improbanda*. Quomodo eſt collatio inter æquales, non autem ſuperiorem & inferiorem. Et idem [illegible] Satis congruit hoc cum Act. XXV. v. 14. ubi Feſtus ἀνέθετο, *expoſuit Regi Agrippæ, ut amico*, ea quæ ad Paulum pertinebant. Act. XV. v. [illegible] ita exponitur: *& annuntiarunt quæcunque DEus fecerat cum ipſis*. [illegible]ibus conſideratis [illegible]θεσις h. l. nihil aliud vult, quàm quod Apoſtolus Paulus H[illegible]ſolymis coram

coram Apoſtolis & Eccleſia clarè propoſuerit Evangelium,& quomodo inter gentes prædicaſſet, firmatis omnibus per rationes, ex quibus erant illa, quæ DEus fecerat cum ipſis, miracula & ſigna Evangelio confirmando edita; addens, certum ſe eſſe, quod non poſſit aliquid addi: quod ſi aliquid habeant addendum, addant; ſi nihil habeant, Evangelii curſum non inhibeant, ſed juvent potius, omni ſcandalo, quaſi ſecus ſentirent, è medio ablato. Ita namque accipiendum eſt τὸ ἀνεθέμην, *contuli, expoſui*, tanquam relatum ad προσανατίθεσθαι *addere*, v. 6. Quæ relatio ſatis oſtendit, quod Paulus fuerit ἀναθεὶς, *exponens*, ut illi, ſi poſſent, eſſent προσαναθέντες, *addentes aliquid*, aut corrigentes. Sed nihil potuerunt addere, ut infrà dicit: quia evicit, eſſe ipſam divinam veritatem, & obtinuit, quemadmodum illud, ut Titus non circumcideretur, v. 3. ex quo etiam aliquid hic ſupplendum venit. Quare tàm verum, tàm perfectum, tàm bonis rationibus ſuffultum fuit Evangelium Pauli, ut nihil quicquam potuerit addi aut corrigi. Contulit III. Paulus cum Apoſtolis, & fratribus Hieroſolymitanis: nam hi per αὐτοῖς intelliguntur, contenti ſub voce Hieroſolyma; q. d. Aſcendi Hieroſolymam, & ad fratres in illa, & expoſui illis, &c. Diſcrimen autem IV. communiter ſtatuunt indicari per κατ᾽ ἰδίαν, *privatim*; ut Apoſtolus publicè contulerit cum fratribus ſeu univerſa Eccleſia, privatim autem & ſeorſim cum Apoſtolis. Vid. D. *Hunn.* h. l. *Eſtium* h. l. & alios. Quod, fateor, non admodum mihi placet. Quare enim Paulus & Apoſtoli aliquid egiſſent clam, & non potius coram univerſa Eccleſia, ne mala oriretur ſuſpicio? Viderunt hunc nodum Pontificii inprimis: unde ſolvere conati ſunt, ſed infeliciter. Nam *Eſtius* fingit, privatim actum de hoc, quod etiam fideles Judæi à lege eſſent liberi, ſed nondum tempus eſſet, ut *publicè* proponatur, aut ſuſcipiatur. Alii vero apud *eundem* volunt, omnia privatim cum Apoſtolis acta, & ita torquent textum. Contuli cum illis. Itaque malim τὸ, κατ᾽ ἰδίαν, *privatim*, non notare locum privatum, ſed eos, ad quos res maximè pertinebat, & cum quibus præcipuè, tanquam cum præcipuis, agebatur: ut verti poſſit per *maximè, præcipuè*: quomodo etiam Germani utuntur ſua particula, inſonderheit / beſonders. Conf. *Juſt.* h. l. Ita τὸ, κατ᾽ ἰδίαν, *privatim*, nihil aliud dicit, quàm quod colla-

tio publicè & coram univerſa Eccleſia inſtituta, ſed præcipuè directa fuerit ad Apoſtolos, audiente tamen, quid cum illis ageretur, Eccleſia. Aut τὸ, *κατ' ἰδίαν, privatim*, ita accipiendum eſt, quod Paulus primò privato loco & accuratè cum Apoſtolis egerit, ut res prius diligenter examinata ad Eccleſiam quoque deferretur, coram quâ Apoſtoli faterentur, rem privatim accuratè conſideratam, nec tumultuario modo ſuſceptam eſſe, nec ſe tamen quicquam habere, quod Evangelio Pauli addant. Quid verò Paulus hic intendat, haud obſcurum eſt; nimirum ut occurrat exceptioni huic: *Egiſti quidem, Paule, cum indoctioribus fratribus, qui nihil potuerunt tibi addere; ſed Apoſtoli potuiſſent addere, cum quibus propterea tibi agendum fuiſſet*; dicit, ſe verò etiam cum Apoſtolis, & præcipuè atque accuratiſſimè egiſſe, ſed nec hos quicquam addidiſſe; quod probari poſſit ex iis, quæ ad univerſam Eccleſiam delata, & coram ea acta ſint. Apoſtolus vero Paulus vocat δοκοῦντας: hos namque intelligi, patet ex v. 9. In v. 6. additur, εἶναί τι, *eſſe aliquid*; quod *Vulgatus* etiam h. v. 2. addidit. In v. 9. clarius exponitur, per ϛῦλοι eſſe, *columnæ* eſſe. Obſervant verò benè, quod δοκοῦντες Græcis ſint, qui in magnâ exiſtimatione ſunt. Vid. *Eraſm. Schmid.* h. l. *Eſt.* h. l. Sed & in ipſa Scriptura exemplum habemus, Marc. X. v. 42. οἱ δοκοῦντες ἄρχειν τῶν ἐθνῶν, non qui tantum regnare videntur ſuper gentes, ſed qui reverá regnant, & pro talibus agnoſcuntur. Sic itaque h. etiam l. Apoſtoli ſunt δοκοῦντες, qui *probati* ſunt, qui in autoritate ſunt, qui agnoſcuntur pro iis, qui aliquid ſunt, & columnæ Eccleſiæ. Cum his voluit Apoſtolus maximè conferre ſuum Evangelium, ut manifeſtum fieret ipſum his non eſſe minorem, & quod ne hi quidem aliquid ipſi poſſent addere. D. *Bald.* quidem in h. l. accipit; qui videbantur ſc. calumniatoribus Pauli, nimium illos extollentibus. Contuli VI. *Evangelium*, inquit, *quod prædico in gentibus*. Hoc Evangelium [illegible] dixit vocationem in gratia Christi, ſine ſcilicet legis operibus, [illegible] ſent liberæ, illaque non onerandæ: de quo infrà plura. B. *Lutherus* putat, propterea dici, *in gentibus*, quia Paulus inter Judæos circumciſionem & leges ceremoniales tolerabat. Et hactenus accipi poteſt, quod clarius inter gentes prædicaverit. Idem quidem enim Evangelium inter Judæos & gentes prædicabatur; ſed, dum tolerandæ erant

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

legis ſanctiones inter Judæos, non tàm clarè prædicatum, quod omitti poſſent & deberent, ut ſynagoga cum honore ſepeliretur. VII. Finem hujus ſuæ collationis ſignificavit Apoſtolus his verbis, *ne quo modo in vanum curram, aut cucurrerim.* Ad quæ ſic annotat *Pareus* : *Retulerunt pleriq; ad doctrinæ veritatem, hoc ſenſu : Ne fruſtra currerem aut cucurriſſem , hoc eſt, ne fortè hactenus in doctrina aberrarim à veritate, aut deinceps aberrem, &c. Ut hic ſenſus verborum ſalvetur, volunt, Paulum hoc, quod dicit , ne fortè in vanum currerem , non dicere ex ſententia ſua , ſed ex ſententia eorum, qui perſuaſi à pſeudo-apoſtolis exiſtimabant, Paulum fruſtra cucurriſſe & currere , quia non verum Evangelium prædicaſſet & prædicaret.* Ita Pareus. Habet iſtam ſententiam *Hieronymus* in h. l. Sed alii de fructu , ſucceſſu & eventu prædicationis Paulinæ longè melius accipiunt. *Neq; enim* (inquit D. *Hunnius* in h. l.) *eò pertinent, ac ſi de Evangelio ſuo ipſe vel tantillum dubitarit, aut quaſi doctrina Pauli per ſe habuerit opus ſuffragio reliquorum Apoſtolorum. Nam quomodo hæc eſſet mens Pauli , qui etiam Angelum de cœlo, nedum aliquem hominem, quamlibet ſublimem , ſi diverſum quid ille doceat, anathemate ferire audet? Sed ſuſcepta erat illa actio inter Paulum & Apoſtolum, propter falſos fratres &c ne aſtu diaboli & miniſtrorum ejus ſanctiſſimi labores Pauli redderentur irriti apud gentiles.* Conf. *Pareum* , *Eſtium* , *Juſtinianum* & *alios*. B. *Lutherus* tamen noſter ſententiam B. *Hieronymi* commodo ſenſu accipit, ſcribens : *Non quod Paulus dubitaverit , ſe in vanum currere aut cucurriſſe, quia jam octodecim annis prædicaverat ; & ſtatim ſequitur in textu, quod in ſua conſtantia permanſerit , & vicerit. Sed quia multi putabant, eum fruſtra tot annis prædicaſſe, &c.* Invenimus vero , etiam τὸ εἰς κενὸν, *in vanum*, de fructu & eventu uſurpatum , 2. Cor. VI. v. 1. *Cooperantes verò etiam adhortamur , ne in vanum gratiam DEI acceperitis* Conf. Philipp. II. v. 16. 1. Theſſ. III. v. 5. Cæterum *Pontificii*, licet hinc pro autoritate Pontificis Romani non inveniant, quod vellent, aucupantur tamen occaſionem calumniandi Noſtrates. *Oſtendit*, inquit *Eſtius* h. l. *hic locus quam ſit neceſſarium , doctrinam etiam bonam & divinitus acceptam communicari cum iis , qui præſunt Eccleſiæ, ut ab illis examinata & approbata cum fructu prædicari, cumq; ſecuritate & certitudine poſſit à fidelibus ſuſcipi.* Et mox, poſt allegatos

Hiero-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

Hieronymum & *Auguſtinum*, addit. *Quæ verba benè notanda contra novos magiſtros, qui pro verbo DEI non verentur orbi Chriſtiano doctrinas ſuas obtrudere, nec prius cum Eccleſiæ præfectis communicatas, nedum ab illis approbatas, nec ullo miraculo confirmatas.* Conf. *Juſtin.* h. l. Inprimis *Bellarm.* l. 3. *de verbo Dei*, c. 5. ubi ex hoc loco probare conatur, Petrum fuiſſe majorem Paulo, Eccleſiamque non fuiſſe crediturам Paulo, niſi ejus Evangelium à Petro fuiſſet confirmatum. Iſtis hominibus reſpondet D. *Balduinus* in h. l. *quæſt.* 4. Nos breviter ℞ 1. Ponamus, quod Pontificii volunt; quanta verò ſtultitia inde impingetur prudentiſſimo Apoſtolo Paulo? quanta temeritas? qui auſus eſt ſeptendecim annis prædicare Evangelium à Petro & Eccleſia non confirmatum, cui Eccleſia etiam credere non debuit. Quanta illius ſuperbia? qui cum cap. I. v. 16. 17. cogitaſſet quidem de collatione cum carne & ſanguine, & aſcenſu ad Apoſtolos, neutrum tamen fecit, ſed ſtatim Evangelium non confirmatum prædicavit. Imò tàm arrogans fuit, ut licet poſt tres annos fuerit cum Petro & Jacobo Hieroſolymis, tamen non fecerit confirmari tum Evangelium ſuum, ſed poſt quatuordecim annos demum. Tàm honorificè ſcil. volunt Pontificii nos ſentire de Apoſtolo Paulo. Quis verò ex tanto abſurdo non repudiaverit Pontificios? 2. Falſum vero etiam eſt, quod Eccleſia non crediderit Evangelium Pauli, niſi à Petro confirmatum. Certè Evangelio Pauli non minus creditum eſt inter gentes, quam Petri Evangelio inter Judæos, v. 8. 3. Non propter Eccleſiam Paulus aſcendit Hieroſolymam, ſed propter falſos fratres, ut illorum jactantiam retunderet, v. 4. qui Eccleſias perturbabant. Nec 4. Evangelium Pauli fuit confirmandum, ſed à Paulo contra calumnias defendendum, & Eccleſia Hieroſolymitana ad conſenſum manifeſtum adigenda bonis rationibus, ob quas illi non liceret amplius connivere. Paulus namque docuit, tempus eſſe ſepeliendi ſynagogam, ſaltem inter gentes. 5. Paulus v. 6. expreſsè dicit, quod Apoſtoli, & in his Petrus, nihil quicquam ipſi addiderint. Atqui addidiſſent aliquid, ſi autoritatem per ſuam confirmationem addidiſſent. 6. Etſi interim aliquomodo conſenſum Apoſtolorum expreſſum Paulus ambiverit: nulla tamen conſequentia eſt ad conſenſum ſuâ confirmatione autoritatem dantem. Nec 7. conſenſus Apoſtolorum neceſſarius

erat

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

erat ad hoc, ne Paulus in vanum curreret; aut per ſe requirebatur; ſed per accidens, & ad benè eſſe, ut eò minus in vanum curreretur, & facilius finis Evangelii obtineretur. Et hîc calumniantur nos Pontificii, quaſi ejusmodi conſenſum Noſtrates ab Eccleſia, etiam Pontificia, petierint. Nonne B. *Lutherus* noſter ab initio ad Papam, & Noſtrates coties ad liberum concilium provocarunt? Diligenter etiam, & ex h. ipſo loco, Noſtrates monent, in gravioribus ſaltem controverſiis cum conjunctis Eccleſiis & Academiis ſententias conferri, & conſenſum exquiri. Vid. D. *Hunn.* L.C. 3. Nihil igitur hic efficiunt Pontificii: quibus contrà hunc locum Noſtrates opponunt, oſtenduntque; Petrū Paulo & reliquis Apoſtolis non fuiſſe ſuperiorem; imò Paulum in nonnullis excelluiſſe. Nam Petrus quoque Paulo nihil addere potuit. Paulo non minus DEus cooperatus eſt inter gentes, quàm Petro inter Judæos: Petrus cum aliis Apoſtolis dedit Paulo dextram ſocietatis, h. e. æqualitatis, non ſuperioritatis, ut Paulus is eſſet inter gentes, qui Petrus inter Judæos. Quin Paulus etiam Petro reſtitit, eumque coarguit hypocriſeos, ut infrà habebimus. Paulus etiam magis reſtitit falſis fratribus, quàm Petrus: ſe namq; dicit illis ne quidem ad horam ceſſiſſe, v. 5. Conf. Act. XV. v. 2. 7. Nos verò etiam tandem putamus, reverâ Paulum per verba, *ne quo modo in vanum curram*, &c. non indicare finem requiſiti conſenſus ſimpliciter; ſed, quare nihil quicquam in expoſitione Evangelii ſui conceſſerit adverſariis ſuis; nimirum quia, ſi quicquam conceſſiſſet, hoc malum inde ortum fuiſſet, ut in vanum cucurriſſet; cecidiſſet namque ſtatim ejus autoritas, quâ lapsâ veritas Evangelii non potuiſſet manere. Sic v. 3. nihil conceſſit circa circumciſionem Titi, ut veritas Evangelii apud gentes maneret.

V. 3.

Sed neq; Titus, qui mecum erat, &c.) Ad v. pr. jam indicavimus, quod ex h. v. aliquid ibi ſupplendum ſit. Patet hoc ex cohærentiâ, quæ alioqui plena non eſt. Nam quando Paulus hic dicit, *ſed neq; Titus coactus eſt circumcidi*; infertur ſanè aliud quid, quod Paulus non ſit coactus facere: q. d. Et quidem non tantùm non coactus fui prius illud facere, ſed etiam Titus non eſt coactus circumcidi. Quare ita ſupplendus eſt textus: *Aſcendi autem juxta revelationem, & ita expoſui, probavi, defendi illis Evangelium, quod prædico inter gentes,*

tes, *ut non coactus ſim quicquam in illo mutare per conceſſionem, ſiquidem ne ad horam quidem ceſſi in ullo puncto*, *ne in vanum cucurriſſem, aut currerem: ſed nec Titus coactus eſt circumcidi.* Ita optima eſt cohærentia & plena, quæ ſenſum ad v. pr. traditum illuſtrat. Tale quid etjam obſervavit *Diodatus* h. l. Alias in cohærentia non conveniunt. D. *Hunnius*, cum B. *Luthero*, ut videtur, putat, hinc ſumi argumentum defenſæ contra pſeudo-apoſtolos doctrinæ Pauli. *Pareus* exponit, ac ſi ſit occupatio objectionis, quæ hæc ſit: Expoſuiſti Apoſtolis Evangelium, fortè tacuiſti de circumciſione. ℟. Apoſtolus: non tacui, quod ex negotio Titi patet. *Eſtio* hæc eſt cohærentia: Quòd ſi Apoſtoli, cum quibus contuli, quod in gentibus prædico, Evangelium, ſenſiſſent, obſervationem legis Moſaicæ, cujus præcipua pars eſt circumciſio, neceſſariam eſſe Chriſtianis; utique Titum gentilem, quem mecum aſſumſeram, juſſiſſent circumcidi. Atqui id factum non eſt. Verum enimverò cohærentia, quam dedimus, omnium videtur optima: in quâ duo diſtincta ut ſunt membra, ita duæ ſunt diſtinctæ res. Nam verſ. præc. expoſuit Apoſtolus, quod obtinuerit, ut nihil cogeretur mutare in Evangelio inter gentes prædicato, atque adeò manerent gentes, ut eſſent, in ſuis locis: nunc verò aliquid dicit, quod majus, ut Titus non circumcideretur in loco præcipuo & in meditullio Judæorum verſans cum Judæis, cum tamen id aliàs bona conſcientia facere licuiſſet, ſicut Paulus ultrò Timotheum circumcidit, Act. XVI. v. 3. Eò usque hactenus nemo progreſſus eſt; ſed Paulus rationem ſubjiciet v. 4. Ἕλλην, *Græcus*, eſt homo gentilis incircumciſus, ſicut in Actis frequenter. B. *Lutherus* obſervat vocem ἠναγκάσθη, *coactus eſt*, & annotat, non fuiſſe ſtatum quæſtionis de circumciſione liberè, ſed ex neceſſitate ſuſcipienda. Quod eſt veriſſimum. Ineptè vero à *Juſtiniano* taxatur h. l.

V. 4.

Propter verò ſubintroductos falſos fratres, &c) *Incredibile dictu eſt*, inquit *Juſtinianus* h. l. *quam multas quamque inextricabiles lites una particula*, *SED apud Latinos*, *& δὲ apud Græcos*, *pepererit.* Et mox: *Sunt, qui eam particulam ſublatam velint*, *& legere: Sed neque Titus, cùm eſſet gentilis, compulſus eſt circumcidi propter ſubintroductos fratres. Alii retinendam quidem eam putant, ſed negationem in ſequentibus tollunt; quibus ad horam ceſſimus; quaſi ſignificet*, *non juſſiſſe*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

ſiſſe quidem Apoſtolos Titum *circumcidi, ſed propter ſubintroductos fra-*
tres tum ipſos, tum etiam Paulum, permiſiſſe, ut ille circumciſionem
ſubiret, &c. *Sunt, qui particulam, ſed, referant ad ſuperiora, cùm di-*
xit, ſe contuliſſe ſeorſim cum iis, qui inter cæteros eminebant; quaſi id
factum dicat propter ſubintroductos fratres. Non deſunt, qui putent,
Paulum Hebraicam loquendi rationem retinuiſſe, qui negationem in
principio poſitam in conſequentibus aut repetunt, aut repeti volunt ἀπὸ
τȣ͂ κοινȣ͂. *Dixerat autem: Sed neque Titus compulſus eſt circumcidi.*
Repetit: ſed neque propter ſubintroductos fratres. Ita ille; qui tan-
dem, ut & *Beza,* δὲ accipit pro δὴ, *nempe.* Conf. *Eſt.* h. l. qui ſatis et-
jam prolixus eſt. B. *Lutherus* noſter in verſione loco adverſativæ
poſuit cauſalem: Dann da etliche falſche Brůder / &c. Non video
verò, quid difficultatis res habeat, ſi modò vertatur: *Id verò propter*
falſos fratres; vel, ut *Eraſmus Schmidius, id fiebat autem propter*, &c.
vel, ut *Pareus, propter verò falſos fratres,* ſc. non coactus eſt Titus cir-
cumcidi. Cohærentia nimirum ita habet: Quod autem Titus, ut
dixi, non coactus eſt circumcidi, me id non permittente, factum eſt
propter falſos fratres, qui tanquam neceſſariam urgebant circumciſio-
nem, & hâc ratione nos conabantur in ſervitutem legis redigere: extra
hunc caſum in gratiam infirmorum non dubitaſſem, circumciſionem,
tanquam rem liberam, Tito conferre, ſine detrimento veritatis Evan-
gelicæ. Hac ratione Paulus per occupationem ſe excuſat, quare
Hieroſolymis tàm rigoroſus fuerit. Sic hi falſi fratres, ſeu hypocri-
tæ, in religione non ſinceri, erant Hieroſolymis, non inter gentes;
quanquam inter gentes haberent ſimiles. Nimirum illi ipſi ſunt, quo-
rum ſit mentio Act. XV. v. 5. Hi meritò dicuntur falſi fratres,
quia in fundamento fidei errarunt. Dicuntur autem etiam παρείσ-
ακτοι, quod alii, *ſubintroductos,* alii *ſubinductitios,* alii *irreptitios* &
emiſſarios vertunt, h. e. juxta *Ambroſium,* quem ferè probant, qui dolo
ſubintroierant, oſtendentes ſe fratres, cum eſſent inimici. Putant e-
nim ferè, ſic exponi mox à Paulo, *qui ſubingreſſi erant.* Verum nos
mallemus diſtingui, ut dicantur παρείσακτοι, *ſubintroducti,* ſc. ab artifi-
ce diabolo zizania tritico miſcente, in Eccleſiam; *ſubingreſſi* autem
in conventum Apoſtolorum & Eccleſiæ, ut lites moverent: quod &
fecerunt, Act. XV. v. 5. 6. 7. Ingreſſi autem erant κατασκοπῆσαι; *ex-*

plorare ſeu ad explorandum. B. *Luth.* zu verkundſchaffen. *Eſtius* exponit: *Ut eâ libertate explorata & cognita nobis eam extorquerent*, aut nos accuſarent. Sed melius videtur reddi, *tentare*, *ad tentandum libertatem noſtram*, ſi nimirum ullo modo diſputationis contentioſæ nobis eam eripere poſſent, atque ſic nos in ſervitutem redigerent. Quomodo erit exploratio non tantùm mentis ad cognoſcendum, ſed operis ad efficiendum. Quid autem ſit καταδουλοῦν, *in ſervitutem redigere*, exponitur infr. Cap. V. v. 1. *Libertate, quâ Chriſtus nos liberos fecit, ſtate, & ne iterum jugo ſervitutis implicamini.* Ubi ſine dubio de ſervitute legis loquitur: atque adeò libertas eſt libertas Evangelica, quam habemus in Chriſto, qui à jugo legis nos liberavit. Chriſtum pro Chriſtianiſmo accipere cum nonnullis, prorſus non eſt neceſſe. Cæterum libertatem nolim cum quibusdam coartare ad libertatem circumciſionis, ſed ad totam libertatem Chriſtianam à jugo legis extendere. Noſtrates hinc probant, Calvinianis quoque in rebus adiaphoris nihil concedendum: ſed nec Pontificiis. Vid. D. *Hunn.* L. C. 6. D. *Balduin. Aphor.* 5. 6. contra quos ineptè h. l. *Pareus* diſputat.

V. 5.

Quibus neq; ad horam ceſſimus, &c.) I. Negativè legunt omnes Codd. *Syrus, Arabs, Vulgatus.* Sed *Ambroſius, Tertullianus, Irenæus* apud *Eſt.* h. l. *Primaſius* apud *Juſtin.* h. l. olim in Latinâ verſione legerunt affirmativè, *quibus ad horam ceſſimus*; quaſi ſc. Paulus falſis fratribus hactenus ceſſerit, ut Titum circumciderit. Sed ab *Hieronymo* refutatum id eſt. Confer annotata ad v. 3. *Pareus* inde præter alia hoc obſervat, quod Vulgata Latina hodierna olim tempore *Ambroſii* & *Hieronymi* non fuerit. II. Quid ſit, πρὸς ὥραν, quæritur? Communiter de horâ propriè dictâ accipiunt: ſicut & B. *Lutherus* vertit: wichen wir denſelbigen nicht eine Stunde: ut tamen mox horam, metonymiâ ſpeciei pro genere, exponant de quovis tempore exiguo, etiam minimo. Unde ferè vertunt, *ad momentum, momento*, *Beza*, *Eraſ. Schmid. Diodatus* & alii: *Juſtinianus* vero exponit, *ne ad punctum quidem temporis.* Certum quidem eſt, quod Paulo, πρὸς ὥραν, *ad horam*, ſit, ad tempus, non in perpetuum. 2. Cor. VII. v. 8. 1. Theſſ. II. v. 17. Philem. v. 15. Certum etiam hoc nobis eſt, quod Paulus ne ad momentum quidem ceſſerit pſeudo-fratribus. Interim mallem,

lem, ab Apoſtolo diſtingui ceſſionem, ut alia ſit in perpetuum, alia ad tempus; & occupari objectionem. Objici namque Paulo potuiſſet, quare verò non circumciderit Titum, & ad tempus ceſſerit falſis fratribus, quemadmodum aliàs bonâ conſcientiâ fieri poſſet. Reſpondet Apoſtolus: verum eſt, ne ad tempus quidem ceſſi illis, ſed graviſſimam cauſam habui, ut ſc. veritas Evangelii apud vos maneret; etſi enim fieri poſſit, ut circa circumciſionem ad tempus aliquid concedatur, prudentia tamen adhibenda eſt, ne veritas Evangelii damnum patiatur; Ego itaque cùm viderem, quod veritas damnum paſſura eſſet, nec pura apud vos manſura, ne ad horam quidem ſeu tempus illis ceſſi. Tale quid etiam indicat B. *Lutherus* his verbis: *Dixerunt enim procul dubio, ad tempus ſaltem, Paule, illam libertatem intermitte.* Et jam facilè excuſatur, quod Paulus poſtea Timotheum circumcidit Act. XVI. v. 3. nam ad tempus ceſſit, ubi veritati Evangelii nihil timendum, contra verò major ſucceſſus ſperandus, remotâ ſcandali accepti occaſione infirmis. III. Τῇ ὑποταγῇ quidam accipiunt in dativo, *ſubjectioni.* Vid. *Eſt.* h. l. Sed communiter vertunt in ablativo, *ſubjectione.* Quod B. *Lutherus* benè παραφράζει, unterthan zu ſeyn/ h. e. ita ut ſubjiceremur illis. Vid. *Pareus* h. l. *Juſtin.* h. l. Putat autem *Pareus*, eſſe metaphoram ab athletis ſumtam, ex quibus qui vincitur à vincente ſubigitur & ſubjicitur. Conf. Luc. X. v. 17. 20. Quomodo ſi acceperimus, contrarium erit ſubintelligendum; q. d. quibus ne ad horam quidem ceſſimus, ſed illos nobis cedere coëgimus, ita ut ſubjicerentur nobis: Ne videantur pares diſceſſiſſe, quod apud athletas non raro fit. Neſcio tamen, annon aliud potius dicendum ſit. Nam vox ὑποταγῆς, *ſubjectionis*, latiſſimè ab Apoſtolo accipitur pro omni obſequio & indulgentia quorumvis Chriſtianorum, quæ in gratiam infirmorum, miniſterii pacis ergò &c. fit. Epheſ. V. v. 21. 1. Petr. V. v. 5. Ejusmodi itaque ὑποταγὴ, *obſequium fraternitatis*, h. e. ex fraterna charitate oriundum, h. l. poteſt intelligi, ut intelligatur, qualis negata ſit ceſſio; q. d. quibus ne ad tempus quidē ceſſimus, ita ut ex fraternâ charitate aliquid indulgeremus, & Titum circumcideremus; quia fraternæ charitati non erat locus ubi periclitabatur veritas Evangelii. IV. Ἀλήθεια τοῦ Εὐαγγελίου, *veritas Evangelii*, eſt puritas Evangelii: niſi quod Apoſtolus maluit vocare *veritatem*, ut pateret, doctrinam de legis & ope-

rum neceſſitate in articulo juſtificationis convertere Evangelium verum in falſum, atque adeò fundamentum fidei evertere; quod non facit omnis impuritas. Vid. B. *Luth.* h. l. V. Πρὸς ὑμᾶς, *apud vos*, D. *Hunnius* in h. l. ita exponit, *apud Galatas non minus, quàm apud reliquas Eccleſias* ſc. *gentilium*. Neque enim ad ſolos Galatas reſtringendum; ſed refertur ad id, quod v. 2. dictum: *Contuli Evangelium, quod prædico inter gentes.* Nunc itaque; *ut veritas Evangelii maneret apud vos* ſc. *gentes*. Sed quare non apud Judæos etiam? *Juſtiniano* non diſplicet hoc; ut apud vos ſaltem, ſi non apud Judæos, veritas Evangelii maneret. Malim, hoc dicere Apoſtolum; Si enim ego ceſſiſſem ad tempus, ut Titum circumciderem, nullum quidem Judaicis circumciſorum Eccleſiis inde damnum ortum fuiſſet, ſed lis potius ceſſaſſet: ut inter vos gentiles veritas Evangelii omninò periclitatura fuiſſet.

V. 6.

Ab iis autem, qui &c.) In hoc verſu I. communiter faciunt parenthesin h. m. Ab iis autem, qui videntur aliquid eſſe (*cujusmodi olim fuerint, mea non refert: perſonam hominis Deus non accipit*) mihi enim qui videntur nihil conferendo addiderunt. Poſt verò hanc parentheſin II. vel aliquid ſupplent h. m. Ab iis autem, qui videntur aliquid eſſe, *nihil ego accepi, vel didici*; ita B. *Luth.* h. l. *Eraſm. Schmidius* h. l. & alii. Vel mutatam conſtructionem in repetitione ſtatuunt, ut ſit dictum: Ab iis verò, qui videntur aliquid eſſe; mihi enim qui videntur, nihil addiderunt; pro, ab iis vero, qui videntur aliquid eſſe; ab iis, inquam, qui videntur, nihil quicquam accepi; vel pro, mihi verò ii, qui videntur aliquid eſſe, mihi, inquam, ii, qui videntur, nihil addiderunt. III. Parentheſeos, *cujusmodi olim fuerint*, &c. non unum faciunt ſenſum. Alii hunc: Quod olim fuerint homines ſimplices & imperiti, nullius dignitatis in lege, nihil illis obeſſe debet, nec ego eos propterea contemno, licet doctus in lege fuerim: tanquam excuſet Paulus Apoſtolos. Ita *Ambroſius*, *Hunnius* & alii. Non procul abit *Eſtius Auguſtinum* ſecutus, qui ita exponit: *Quales illi olim ante Apoſtolatum fuerint, nolo diſcurrere; neque enim meum eſt, aut ad rem facit; alioqui poſſet etiam in iis inveniri, quod reprehendatur. Fuerunt enim & illi peccatores, ſicut ego, ut mihi immeritò peccatum meum objiciatur.*

Alii

Alii verò hunc : *Etſi illi permittunt circumciſionem, ipſi DEO reddituri ſunt rationem : Non enim, quia magni fuerunt, aut præeminentes dignitate, DEus perſonam illorum accipiet.* Ita *Chryſoſtomus.* Alii tandem hunc : *Vos opponitis mihi illos, qui videntur eſſe aliquid,*&c. *Sed DEus horum nihil curat, non reſpicit Apoſtolatum, Epiſcopatum, Principatum, autoritatem,*&c. Ita B. *Lutherus* h. l. *Pareus* h. l. *Diodatus* h. l. *Juſtinianus* in h. l. Quæ ſententia quidem reliquis videtur præferenda. Sed IV. ut noſtram ſententiam quoque exponamus, 1. ſupplendum aliquid initio verſus, non dubito. Sed non placet variatio conſtructionis, quam *Eſtius* facit. Obſtat namque particula γὰρ, *enim : Mihi enim ii, qui videntur*, &c. Sed & alterum ſupplementum non videtur ſatis congruere, cum tautologiam ſapiat ; Ab iis verò, qui videntur aliquid eſſe, *ego nihil accepi vel didici* ; mihi enim ii, qui videntur, nihil addiderunt. Itaque malim, Paulum *objectioni* occurrere, & occaſione illius prolixius, quæ cum Apoſtolis acta ſint, recenſere. Objectio hæc erit : Quicquid ſit de falſis fratribus, 1. quibus ne ad horam quidem ceſſeris ; ab iis tamen, qui videntur aliquid eſſe, & reverâ aliquid ſunt, tanquam qui jam olim cum ipſo Chriſto vixerunt, omninò aliquid accepiſti & didiciſti. Quomodo, juxta materiam ſubſtratam & controverſam, An ſc. Paulus ab ullo homine ſive acceperit ſive didicerit aliquid, ſupplementum quidem fieri debet, quod *Lutherus* & alii obſervant, & quidem in perſona ſecunda h. m : *Ab iis verò, qui videntur aliquid eſſe*, hoc eſt, qui jam olim cum Chriſto verſati, ab ipſo eruditi, atque inde meritò in magna exiſtimatione ſunt, *aliquid, dicent, accepiſti* ; vel etiam in prima perſona, *aliquid me accepiſſe vel didiciſſe dicent* excipientque. Hac 2. objectione poſita non opus eſt ulla parentheſi, ſicut etiam vetuſta Græca exemplaria parentheſin non habent : ſed per reliqua verſus verba Apoſtolus ad objectionem reſpondet. Et ita quidem 3. ut primò *fundamentum* ejus removeat, nihil ſua intereſſe, quales jam olim fuerint, Chriſtum ſecuti, & mox primi Apoſtoli cum hæc ſint perſonalia, ſeu ad externam perſonam pertineant, nec à DEO reſpiciantur : deinde verò rem ipſam neget, quod ſc. quicquam illi addiderint, atque adeò ille ab ipſis didicerit, quod ſimul pro cauſa prioris, quare illos non curet, ſubjungit dicens : *mihi enim qui videntur nihil addiderunt.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

runt. Senſus itaque 4. totius verſus hic erit: Sed, inquiat aliquis cum meis calumniatoribus, ab iis, qui videntur aliquid eſſe, propterea quod olim Chriſtum ſecuti, & primi præcipuique Apoſtoli ſunt, tu, Paule, non parum accepiſti & didiciſti. Reſpondeo, non opus eſſe, ut horum autoritas, quam ab antiquo habeant, mihi objiciatur: quia, cujusmodi olim fuerint, mea parùm, imò nihil intereſt, nec quicquam contra me valet, cùm DEus perſonam non accipiat, ut propter id, quod olim fuerunt, tanquam propter meritum illorum, plus illis tribuat, quàm mihi: Certè enim, quod rem ipſam noſtram attinet, ſanctè affirmare audeo, eos ipſos, qui videntur, nihil quicquam mihi addidiſſe, ſed faſſos potius, quod nihil mihi addere poſſint, ideoque dextras mihi dediſſe. Δοκοῦντες ς. εἶναί τι, *qui videntur aliquid eſſe*, ſunt Apoſtoli magni, Petrus, Jacobus & Johannes, ut ad v. 2. dictum. Ex hoc autem verſu apparere poteſt, quare fuerint in exiſtimatione? Nimirum in reſpectu, quales olim fuerint, diſcipuli & comites Chriſti, & poſt Chriſtum primi maximiq; Doctores N.T. Tales reverâ erant Apoſtoli, atque adeò meritò in magna exiſtimatione: non tamen iſtac re omni abutendum erat, ut faciebant falſi fratres & doctores, quaſi propter iſtæc merita nemo in officio & donis poſſet eſſe par, ſed ab illis diſcere deberet. 6. Προσανέθεντο, eſt h. l. exponenti, & ſuam cauſam defendenti, ad expoſitionem ipſius aliquid amplius exponere, atque ſic addere poſſe; ut, licet aliquatenus ſatisfaciat, non tamen per omnia ſatisfaciat. Vi namque compoſitionis, & relationis, quæ ad v. 2. fit, nihil aliud eſt προσανάθεσις, ἀνάθεσις πρὸς ἀνάθεσιν, *expoſitio ad expoſitionem*, h. e. quæ ad eam ſupplendam addita ſit. Conf. *Eſtium*, & alios apud illum h. l. 7. Πρόσωπον, *perſonam*, quam DEus non accipiat, rectiſſimè *Lutherus* in negotio juſtificationis, & quibuscunque ab illa dependentibus, conſiderat. Vide ipſum *Lutherum* prolixè. Merita namque perſonæ reſpicit Apoſtolus: at merita nulla inter DEum & hominem quicquam valent. Jam cauſa inter DEum & homines verſabatur, quando quærebatur, quid, quantum, plus minusve, DEus Paulo, quam Petro & aliis Apoſtolis, dediſſet.

V. 7. 8. 9. 10.

Sed contrà, videntes &c.) I. Quatuor hi verſus arctè cohærent, & in plenum ſenſum conjunguntur. Continuat autem Paulus

ſuam

ſuam ad *objectionem reſponſionem*, ut contrà urgeat eos, qui ipſum conati fuerunt urgere, retorquendo oſtendens, tantū abeſſe, ut Apoſtoli quicquam ipſi addiderint, ut potius publicum teſtimonium ipſi perhibuerint, nihil ſe addere ipſi poſſe, ſed agnoſcere potius pro pari cum ipſis Apoſtolo, & qui ſingularia inter gentes prædicandi dona habeat, ut DEus ipſe per diſtincta dona prædicationem Evangelii inter ipſos diviſerit, ut Paulus inter gentes, ipſi inter Judæos præcipuè prædicarent, atque ſic pro Paulo ſtent contra falſos fratres. Et hæc communis eſt ſententia, quam clarè etiam tradit h. l. B. *Lutherus.* Melior utique illâ, quæ nimium infert, quaſi Apoſtolus dicere velit: nihil mihi addiderunt, ſed contra ego illis addidi meas revelationes, &c. quâ de vide *Eſt.* h. l. *Juſtin.* h. l. II. Cum dicit, *ἰδόντες, videntes*, ſignificatur viſio mentis, h. e. cognitio certa: ſicut mox permutatur cum eo τὸ *γνόντες, cognoſcentes, agnoſcentes*, v. 9. III. Ἀκροβυστία, *præputium*, notat gentes incircumciſas, & περιτομὴ, *circumciſio*, Judæos circumciſos, metonymia abſtracti pro concreto: Et ſic ſæpius in Scriptur. Conf. B. *Luth.* h. l. IV. Evangeliū præputii, & circumciſionis, dicitur paſſivè, & eſt, quod & quatenus pro objecto habet vel gentes vel Judæos. Conf. B. *Luth.* h. l. Non quod duo ſint Evangelia vera, unum pro gentibus, alterum pro Judæis; ſed quod diſtincta illud prædicandi dona, & converſandi agendiq; cum objectis. Evangelium itaq; non præciſè ſumitur, ſed concretè cum ipſis prædicandi donis & modo, atque officio. Unde mox dicitur: *Qui enim operatus eſt in Petro in Apoſtolatum circumciſionis.* Conf. *Pareum* & *alios.* Simplex ſenſus eſt: quod concreditum mihi eſſet Evangelium, ut prædicarem illud apud incircumciſos, ſicut Petro, ut prædicaret inter circumciſos. Cæterum V. hoc, ſicut & alterum, *ut nos inter gentes, illi verò in circumciſionem*, &c. non abſolutè, ſed *comparatè* accipienda ſunt, ideoque ſupplendum, *præcipuè, maximè.* Nam certum eſt, quod Petrus etiam gentibus, & Paulus Judæis prædicaverit: interim Paulus *præcipuè* gentibus, Petrus *maximè* Judæis prædicavit. Conf. B. *Luth.* h. l. & alios communiter. VI. Verſus totus octavus eſt parentheticus, quod omnes obſervant. Vulgatus autem vertit: *Qui enim operatus eſt Petro*, &c. *operatus eſt & mihi.* Unde quidam apud *Eſtium* fecerunt ſenſum: Qui Petrum fecit Apoſtolum Judæorum, idem me fecit Apoſtolum gentibus. Sed Græcum

ἐνεργεῖν τινὶ, eſt pro ἐργάζεσθαι ἐν τινὶ, *operari in aliquo:* ſicut crebrò apud Græcos præpoſitiones conjunctæ in compoſitione ſtant pro ſeparatis. Et hæc eſt communis ſententia, quam ex Pontificiis etiam tradunt *Eſtius* & *Juſtinianus* h. l. B. *Luth.* vertit benè: Dem/der mit Petro kräfftig iſt geweſen. Quanquam Græcum ἐνεργεῖν τινὶ, *operari in aliquo*, clariorem habeat emphaſin, quàm συνεργεῖν τινὶ, *operari cum aliquo.* Illud enim dicit, quod virtus omnis, qua miniſter verbi partibus ſuis fungitur, à DEO ſit. Interim σὺν, *cum*, eodem ſenſu uſurpatur, e. g. 1. Cor. XV. 10. *Non ego verò, ſed gratia DEI, quæ σὺν ἐμοὶ, mecum eſt.* Argumentum ſumi dicunt ab effectu & fructu prædicationis; conf. D. *Hunn.* h. l; quod verum quidem eſt, ut tamen cum effectu externo in auditoribus ſimul intelligatur effectus internus in ipſo Paulo, in quo paſſim eluxit ſingularis in prædicando gentibus Evangelio motus inſtinctusque Spiritus, etiam ad patranda miracula, inſignis prudentia, patientia, & virtutes aliæ. Et phraſis etiam Græca hoc vult: Qui operatus eſt in Petro ad Apoſtolatum circumciſionis, h. e. ad explendum Apoſtolatum inter circumciſos, (Apoſtolatus enim circumciſionis dicitur, qui objectum habet circumciſos: ſicut ſuprà Evangelium circumciſionis, & præputii) idẽ operatus eſt in me in gentes, h. e. ad explendum officium apoſtolicum inter gentes. Addit Paulus VII. Et *agnoſcentes gratiam, datam mihi*, &c. *Ubi per* χάριν, *gratiam*, *Juſtinianus* intelligit vim & poteſtatem; *Eſtius*, quod eodem recidit, Apoſtolatum: Qui idem *Eſtius* putat, id ipſum, quod in parentheſi poſitum, his repeti. D. *Hunnio* eſt gratia ad gentes convertendas Paulo divinitus conceſſa. B. *Lutherus* in h. l. *Gratiam*, inquit, *appellat omnia, quæ à DEO acceperat, quòd ex perſecutore & vaſtatore Eccleſiæ factus eſt Apoſtolus, à Chriſto edoctus, ſpiritualibus donis auctus*, &c. Bona iſtæc ſunt omnia, niſi quod malim, nihil antecedentium repeti, (alioqui parentheſi opus non fuiſſet,) & χάριν, *gratiam*, accipi in ſua primaria ſignificatione, quâ divinam miſericordiam & favorem gratuitum denotat. Quod fieri poteſt, ſi obſervetur, quod inprimis Paulus omnia ſua in gratiam divinam modeſtiſſimè reſolvat. Conf. 1. Cor. XV. v. 10. Ex eadem itaque modeſtia, poſtquam ſe non parùm commendavit ab Apoſtolatu commiſſo, & operatione divinâ in ipſo efficaci, gratiæ divinæ ſibi datæ tandem meminit, ex quâ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

iſtæc omnia derivata ſint. Et ſimul retundit pſeudo-doctorum calumniam, quam ex eo, quod prius perſecutor Eccleſiæ fuiſſet, ſumebant; q. d. Et agnoſcentes, quod, licet prius hoſtis DEI & Eccleſiæ perſecutor fuiſſem, iſtoc tamen non obſtante larga mihi à DEO præſtita eſſet miſericordia, à qua etiam deinceps omnia ad munus neceſſaria ſucceſſumque certò ſperari poſſent & deberent; dederunt mihi & Barnabæ dextras, &c. Obſervatu autem dignum eſt IIX. quod Paulus tum Apoſtolatum inter gentes, tum effectus, tum gratiam ſibi adſcribat, non Barnabæ. Hinc namque colligitur, quod Paulus Barnaba fuerit major: ut ſibi iſtæc omnia ſeorſim adſcribere potuerit ſine arrogantia. IX. *Jacobus*, *Kephas* h. e. *Petrus*, & *Johannes* dicuntur ςύλοι, *columnæ Eccleſiæ*, quod in ipſos veluti recumbere videretur Eccleſiæ ſtructura, ut D. *Hunnius* h. l. loquitur. Similia habent *Eſtius* & *Juſtinianus* Pontificii in h. l. Inſuper *Eſtius* putat, hos tres eſſe præcipuos inter illos, de quibus ſupra dixerat, *qui videntur aliquid eſſe*; q. d. *Jacobus*, *Kephas*, & *Johannes*, qui inter eos, qui videbantur aliquid eſſe, erant præcipui, adeò ut pro columnis Eccleſiæ haberentur. Sed hoc poſterius non eſt neceſſarium: potius illi, *qui videbantur eſſe aliquid*, ſunt hi ipſi, qui videbantur columnæ, ut verba ſe tantum invicem magis exponant. Deinde, cùm Apoſtolus nomen Eccleſiæ non addat, nolim etiam addere, & nomen *columnarum* abſolutè, nō relativè, ſumere pro viris magnis, inſignibus, conſtantibus, imò infallibilibus in fide, & in exiſtimatione apud omnes poſitis; ſicut columna in loco publico erecta inſignis. X. Hæ columnæ dederunt Paulo *dextras communionis*, vel, ut alii vertunt, *ſocietatis*. Ubi Hebraiſmum faciunt, ut ſint dextræ ſocietatis pro ſociis; vid. *Juſtin.* h. l. Quo non eſt opus. Nam genitivus κοινωνίας, *communionis*, eſt potius objecti, vel, ſi mavis, effecti, ut dextræ communionis ſint, quibus ſymbolum indicium & teſtimonium communionis datur publicè. Κοινωνία autem, *communio*, videtur ſignificare omnia communia & eadem; quod commune idemque ipſis Evangelium, fides, Apoſtolatus, autoritas, & ſi quid aliud. Unde ultrò ſequitur, quod Petrus nihil habuerit peculiare, h. e. Epiſcopatum oecumenicum ſuper omnes, ut Pontificii fingunt. Certè *Eſtius* h. l. *dextras*, inquit, *ſocietatis dederunt, id eſt, in Apoſtolatu ſocios, atque in Evangelii doctrina benè ſecum conſentientes agnoverant*,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,292 4° 1516

runt, & ut tales receperunt. Nam jungere dextras ſocietatis & concordiæ ſymbolum erat. Significat ergò Paulus, ſe & Barnabam ſuſceptos ab illis ſummis Apoſtolis, non ut diſcipulos, quales agnoſcebantur Titus & cæteri, qui cum ipſis aſcenderant, ſed ut coapoſtolos, & in Evangelii miniſterio pares. B. *Luth.* cohærentiam cum conſequentibus vidit difficiliorem, ideoque diviſit, & vertit: Gaben ſie mir und Barnaba die rechte Hand/ und wurden mit uns eins / daß wir unter die Heiden &c. D. *Hunnius* ſic exponit: *Dextras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis, agnoſcentes nos pro indubiis Apoſtolis, & hoc pactum ineuntes nobiſcum, ut* &c. *Pareus* quoque duo facit conventionis capita; unum, ut ſocii & collegæ omnes eſſent; alterum, ut diſtinctas partes ſubirent. *Eſtius* ita connectit: *datis dextris ſocietatem Apoſtolatus inierunt nobiſcum, ſic nimirum, ut nos illo munere fungeremur,* &c. Quæ connexio non inepta eſt, & in eundem ſenſum recidit. Conf. *Eraſm. Schmid.* h. l. Malim tamen verba, *ut nos, inter gentes*, &c. exaggerare & extendere communionem; q. d. Dextras nobis dederunt univerſalis per omnia communionis, eò uſque ſe extendentis, ut quemadmodum hactenus, ita & deinceps, pari jure, poteſtate, autoritate, illimitati, incircumſcripti, independentes, non impediti nos in gentes, illi verò in circumciſionem. Ubi verò XI. oratio eſt elliptica, *ut nos in gentes, illi verò in circumciſionem* ſcil. *prædicarent Evangelium*, ut B. *Lutherus*, vel *Apoſtolatu fungeremur*, vel *concreditum haberemus Evangelium*, ut *Eraſmus Schmidius*. Parum licet in re ſitum ſit, malim tamen, *abiremus, ſcil. ad prædicandum.* Vult enim Apoſtolus indicare, qua ratione finitâ collatione & facto decreto diſceſſerint à ſe invicem & abiverint. *Comparatè* hoc dici, h. ſ. ut nos *præcipuè* in gentes, &c. jam ſuprà annotavimus. Militat XII. pro expoſitione ſuprà data, quod v. 10. ſequitur: *Tantum, ut pauperum meminiſſemus*; q. d. adeo illimitati, incircumſcripti ut abiremus, ut nihil quicquam adderetur, in gratiam Judæorum, niſi hoc unicum, ut pauperum inter Judæos converſos, ut hactenus, ita deinceps memores eſſemus; quod tamen non eſt, ut res ipſa loquitur, quicquam Evangelio addere, ſed caritatis officium ſperare: quam ſpem etiam ego adeò non fefelli, ut diligentiſſimam in id dederim operam. Equidem *Eraſm. Schmidius* ita accipit τὸ ἐσπού-

δασα,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

δασα, q. d. quod tamen prius jam feceram, ut monitione iſtâ opus non fuerit. Sed prius malo cum aliis. Cæterum *Eſtius* h. l. XIII. cum videret, ruere Petri ſuperioritatem, fingit, hoc pactum ad tempus tantùm initum; nam Petrum, poſtquam Romam venerit, longè lateque etiam in gentes Evangelium, per ſe & per alios, diſſeminaſſe, h. e. geſſiſſe ſe ſuperiorem Paulo, ut Pontificem œcumenicum; quod figmentum nos meritò ridemus. Nam Paulus prorſus non reſtringit tempus futurum; ut impudentis audaciæ ſit, iſtoc modo reſtringere: ſed Pontificii conſtrictos ſe hîc vident, & ad iſtam impudentem audaciam, qua verò malam ſuam cauſam produnt, adiguntur. Quærunt hîc, annon pactum hoc fuerit contra mandatum Chriſti, quo omnes Apoſtolos jubebat abire in univerſum mundum? Ad quod reſpondet D. *Balduinus* q. 7. ad h. l. Breviter: Chriſtus volebat non per ſingulos, ſed collectivè omnes, prædicari Evangelium in toto mundo, & ita diſtribui mundum, ut donorum haberetur ratio: id quod h. l. factum eſt.

V. 11. 12. 13.

Quum verò venit Petrus, &c.) His verſibus factum Petri Antiochenum recenſetur, quod primis ferè Eccleſiæ ſeculis controverſias peperit. Contigit autem non ante ſynodum Hieroſolymitanam, ut nonnulli putant, ſed poſt hanc, cùm Paulus & Barnabas in gentes rurſus abiverunt, & colliſi paroxyſmo à ſe invicem diſceſſerunt. Vid. *Pareus*, *Eſtius* & *alii* h. l. *Porphyrius* apud *Hieronymum* calumniabatur Chriſtianos, aut Petrum erraſſe, aut Paulum procaciter Apoſtolorum principem reprehendiſſe, irridens ſc. illos, quod ejusmodi habuiſſent Apoſtolos; peccata namque iſtæc exaggerabat, tanquam maxima. Conf. B. *Luth.* h. l. *Juſtin.* h. l. Hujus *Porphyrii* virulentam calumniam nonnulli ut evaderent, finxerunt, duos fuiſſe Kephas; unum Apoſtolum, qui & Petrus; alterum ex LXX. diſcipulis. Cui ſententiæ *Juſtin.* h. l. adſcribit *Dorotheum*, *Clementem Alexandrinum*, & *Euſebium Cæſareenſem*. Eademque ſententia ſine dubio Pontificiis grata foret, ſi probabilis reddi poſſet. Verùm eam refutavit jam olim B. *Hieronymus*, & repudiant etiam *Eſtius* & *Juſtinianus* Pontificii in h. l. multò verò magis Noſtrates. Et *Juſtiniani* quidem verba hæc ſunt: *Meritò ab Hieronymo caſtigantur, tum quia nemo præter*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

Petrum Apoſtolum Cephæ nomine Eccleſiæ notus eſt ; *tum quia temerè hoc loco hæc hiſtoria aſſueretur.* Refragatur etiam iſtius ſententiæ autoribus hoc, quod non Kephas in his verſibus, ſed Petrus expreſsè nominatur, licet *Vulgata* nomen Kephæ retinuerit ex antecedentibus, quod etiam *Eſtius* obſervat. Itaque communiter veteres & recentiores ipſum Apoſtolum Petrum rectè intelligunt. Nihilominus *Hieronymus* aliter elabi conatus eſt *Porphyrii* calumniam, ſtatuitque, non ſeriò, ſed ſimulatè omnia à Petro & Paulo facta eſſe; neque enim Petrum reverâ erraſſe & peccaſſe, ſed piâ ſimulatione negotium actum, ut Judæi, qui Petri autoritate maximè movebantur, videntes ſuum Apoſtolum, reprehendenti cedere, cederent & ipſi, & ſervarentur. Verum enimverò nec hoc ſatisfecit B. *Auguſtino*, qui propterea ſenſit contra *Hieronymum*, Petrum reverâ & ſeriò à Paulo fuiſſe reprehenſum. Et hæc *Auguſtini* ſententia poſtea obtinuit hucusque ita, ut non Noſtrates tantum in illam conſentiant, ſed & Pontificii. Quin *Eſtius* de ipſo *Hieronymo*, & ex ipſo *Hieronymo*, annotat, quod Auguſtino ceſſerit. Interim nihilominus ſunt, qui, licet putent, omnia ſeriò acta eſſe, tamen Petrum de peccato excuſare laborent. Ita *Juſtinianus Jeſuita* in h. l. dum demum putat Petrum peccaturum fuiſſe, ſi admonitus perrexiſſet: Sed quia contigerit, quod ille ab initio divinare non potuerit, &, quum reprehenſione dignus eſſe inciperet, ſtatim ceſſerit, excuſatum fuiſſe. Sed *Eſtius*, & ipſe Pontificius, iſtud quoque repudiat. *Non poſſumus*, inquit, *accedere quorundam recentiorum opinioni, qui cum Auguſtino cæteriſque Latinis ſeriam hîc agnoſcunt reprehenſionem; fortiter tamen negant, à Petro quicquam peccatum fuiſſe. Sic Eraſmus in Annotationibus, & alii nonnulli poſteriores: quorum ratio eſt, Petrum non poſſe culpari in eo, quod bona animi intentione fecit, quodq; ſecundum ſe malum non erat, ſed tale duntaxat, cujus occaſione malum aliquod proveniret, id eſt, ſcandalum gentilium. Quod utiq; Petro non putant imputandum, nihilo magis, quàm ſi ſcandalizati fuiſſent gentiles, & ad judaizandum inducti ex eo, quod Paulum vidiſſent vel circumcidere Timotheum, hominem gentilem, vel ex voto ſibi caput tondere in Cenchreis; vel Jeroſolymis ſeſe cum cæteris Judæis purificare.* Hæc *Eſtius*: qui ad iſtam rationem prolixius reſpondet; in eam verò tandem concedit ſententiam, quod Petrus peccaverit venialiter, Omninò tenenda eſt

ſen-

ſententia, quod Petrus peccaverit. B. *Lutherus* in h. l. *Hîc*, inquit, *ſinite alios diſputare, an Apoſtolus peccare poſſit? nos non debemus extenuare peccatum Petri.* Et mox: *In hâc verò cauſa non ſolum erravit* (Petrus), *ſed inſignem lapſum & grande peccatum commiſit.* Quæ quidem verba B. Viri nos ita accipimus, ut dicamus, peccatum Petri in ſe fuiſſe grande ſatis, & lapſum inſignem, quem quidem venialem reddere potuerant perſonæ concurrentes circumſtantiæ, quod occupatus fuerit ſanctus Apoſtolus à metu, & inopinato Judæorum adventu, & quæ alia ſunt, quibus mens præcipitata eſt: interim nos de peccato judicare debemus ante omnia, quale in ſe & in foro externo ſit; interna autem, & alia, ex quibus mens judicanda eſt, ad DEI forum pertinent. Cæterum qualecunque etiam fuerit perſonæ in judicio divino; in ſe ſanè non fuiſſe exiguum peccatum, conſtat ex contextu, in quo (1) expreſſe vocatur hypocriſis, quæ (2) in communionem abſtraxit alios Judæos, quæ (3) ipſum Barnabam, qui alioqui gentium etiam erat Apoſtolus, ita ut (4) gentiles in opinionem venerint, per ſcandali gravitatem, quaſi illis omninò judaizandum, & propter ſalutem ſuam judaicè vivendum; & (5) Petrus dignus factus, ut publicè coram omnibus reprehenderetur. Ingens diſcrimen eſt, quando Paulus Timotheum circumcidit, & quando caput ſuum in Cenchreis totondit. Non tantùm enim hæc liberè fecit, ſed & ita, ut gentilibus conſtaret, quòd liberè faceret, atque adeò res omni careret ſcandalo: neque in univerſa hiſtoria quicquam deprehenditur, unde hypocriſis Paulo adſcribi poſſit, ſicut hîc Petro expreſſè adſcribitur. Nihil enim quicquam Paulus fecit ex metu, qui in ſcandaloſam προσωποληψίαν eum abſtraxerit; ſicut Petrus fecit. *Sed Petrus fuit Apoſtolus; Omnis autem Apoſtolus eſt infallibilis, & errare non poteſt.* Reſpondit B. *Lutherus* h. l. Prophetæ etiam quandoque errant & falluntur &c. Sic & Apoſtoli errarunt. Diſtinguendum nim. eſt inter *errores in fide*, & *in vita.* Apoſtoli, poſtquam à Chriſto in cœlos evecto Spiritus ſancti largam gratiam acceperunt, in fide non errarunt, ut falſum quid prædicaverint; nec idipſum etiam h. l. fecit Petrus: At in vitâ labi potuerunt, & in diſpenſatione doctrinæ prudenti. Talis hîc lapſus Petri fuit. Converſationis namque externæ eſt, quod modò cum gentilibus comedit,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

dit, modò propter ſupervenientes Judæos non comedit, ſed ſe ſubduxit: contra prudentem doctrinæ diſpenſationem fuit, quod non obſervavit, cum periculo veritatis Evangelicæ indulgeri, in quo aliàs extra hujus periculi caſum indulgeri potuiſſet; cùm tempus potiùs fuiſſet Judæos informare de hoc caſu ſufficienter, & ſuo exemplo ad conformem veritati converſationem invitare. Ita tamen hujusmodi errores in Apoſtolis ſemper à DEO vel immediatè per Sp. S. revelationem, inſtinctumque, aut manifeſtè extrinſecus; vel mediatè (ut h. l. per Apoſtolum Paulum) correcti ſunt, ut nullum ex illis fides ſentiret damnum, & illi correxerint ipſi mox errorem ſuum, ut appareret, infirmitatem in ipſis quidem ſupereſſe, ſed Spiritus S. infallibili ductu ſuperari ſemper, ut fides ex illis nullum pati damnum poſſet. Sic Petrus ſtatim à Paulo correptus non ceſſit tantùm, ſed ineffabili Spiritus ſancti inſtinctu latus eandem fidem confirmavit, patuitque, quòd omninò Spiritus ſancti ineffabilem ductum haberet, ſed in infirmo vaſe.

V. 14. 15. 16.

Sed quum vidi, &c.) His verſibus comprehenditur actio Pauli cum Petro, in quâ hypocriſin ejus apertè redarguit rationibus irrefragabilibus. Oppoſitionem I. facit adverſativa, *ἀλλὰ, ſed: Sed quum vidi*; q. d. iſtud fecit Petrus: *ego contra, quum viderem &c.* II. Ex verbo *εἶδον, viderem*, apparet, quod Petrus ipſo illo momento, quo nunciatum eſt, aut ipſe obſervavit, quoſdam à Jacobo Hieroſolymis veniſſe, unà cum Paulo comederit cum gentilibus, & more gentilium cum ipſis ſit converſatus; conatus autem ſit ſe ſtatim ſubducere, & ſeparare ab ethnicis, cum quibus erat, ſecutique eum ſint etiam alii, & Barnabas, vidente & inſpiciente Paulo: ſed Paulo reſiſtente & redarguente procul dubio manſerunt omnes, ut ſcandalum ex tempore correctum, imò conſummatum non ſit. Unde magis apparere poteſt verum, quod ſuprà indicavimus, præcipitatam eſſe Petri mentem inopinato Judæorum adventu. Hoc, inquam, vult verbum *εἶδον, viderem*. Etſi autem hoc verbum etiam aliàs de viſione mentis, h. e. notitia, uſurpetur: tamen non apparet hîc ulla ratio, quare à propriâ viſionis corporalis ſignificatione diſcedamus: quam potiùs confirmat etiam hoc, quod, quum iſtud videret Paulus,

ſtatim

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

ſtatim coram omnibus Petro reſtiterit; ut præſentem eum adhuc fuiſſe oporteat. Non tamen viſio mentis interim excluditur, cujus erat judicare de externo facto, quod non conveniret cum veritate Evangelii: nim, viſio mentis viſionem corporis in factis externis conſequitur apud homines. Quando III. dicitur, quod non ὀρθοποδοῦσι, rectè ſeu *convenienter incederent juxta veritatem Evangelii*, iterum apparet verum, quod ſupra diximus, Petrum erraſſe in facto & in vitâ, non in doctrinâ. Hinc enim Paulus non dicit, quod dixerint vel prædicaverint quicquam contra veritatem Evangelii, ſed quod *non inceſſerint rectè* juxta illam: quod meritò etiam Interpretes obſervant. De veritate autem Evangelii jam aliquid habuimus v. 5. IV. Per, *dixi coram omnibus*, rectè exponitur, quod v. 11. dictum, *in faciem reſtiti.* Apertè ſc. non ſimulatè, reſtitit verbali reprehenſione & efficaci redargutione, ut Petrus factum ſuum cœptum correxerit manendo cum gentilibus. Gravis autem eſt Pauli ratio. Et quidem V. ratio eſt: *Si tu Judæus exiſtens ethnicè vivis, & non judaicè, quid gentes cogis judaizare?* Ubi 1. conſequentia eſt optima & manifeſta. Quis enim non videat, quod, ſi ei, qui Judæus eſt, liceat ethnicè & non judaicè vivere, multò magis id liceat ethnico? Meritò itaque B. *Hieronymus* indiſſolubile vocat argumentum. Conf. *Eſt*. h. l. Et D. *Hunnius* h. l. monet, non à pari, ſed *ab impari* argumentum deduci. 2. *Judaicè vivere* & *ethnicè vivere* ſibi invicem opponuntur. Et Pontificiis quidem judaicè vivere eſt, obſervare legem ceremonialem Moſaicam: ethnicè, illam non obſervare; illud, quaſi ea adhuc obliget; hoc, quia non amplius obliget. Vid. *Eſt* h. l. *Juſtin*. h. l. B. *Lutherus* noſter in h. l. *Tu*, inquit, *Judæus es, qui teneiur lege judaicè vivere, hoc eſt, abſtinere cibis in lege probibitis; & tamen Judæus vivis gentiliter, hoc eſt, liberè contra legem facis, transgrederis & conculcas eam: comedis enim communes ſeu immundos cibos, ut alius gentilis, qui à lege liber eſt.* Et mox: *Hîc iterum admoneo, judaizare per ſe non eſſe malum, quia res indifferens eſt, ſive ſuilla ſive alia carne veſcaris: ſed ſic judaizare, ut propter conſcientiam abſtineas à certis quibusdam cibis, hoc eſt negare Chriſtum, & Evangelium evertere.* Et non minus D. *Hunnius* atque alii Noſtrates de ritibus Judaicis interpretantur. Vid. D. *Hunn.* h. l. Obſervandum tamen eſt, quod diſcrimen ſit inter Pontificios & Noſtrates. Nam Pontificii ceremonias ſeu ritus Moſaicos præciſè & ex-

cluſivè accipiunt, ut per has ſolas non juſtificetur homo, juſtificetur autem per legem moralem. At Noſtrates *legem moralem non excludunt*, ſed conſequenter includunt; ut quemadmodum non ſit neceſſaria ceremoniarum obſervantia, ut per merita obſervantiæ hujus juſtificemur; ſic non ſint facienda opera moralia, ut per ea juſtificemur. Verumenimverò nobis tutius videtur, *judaicè vivere*, eſſe, vivere ita, ut opera, ſive ceremonialia, ſive moralia, præſtentur ad promerendam juſtificationem; *ethnicè* verò contra, ut non præſtentur ad promerendam juſtificationem, ſed alias ob cauſas. Neque enim legimus hîc, quod Petrus unquam judaicè vixerit, ſed tantùm, quod ethnicè. Judaiſmus quoque Cap. I. v. 14. & judaizare hoc ipſo loco in malam partem ſumuntur. Itaque ſenſus verborum Pauli hic erit: ſi tu, Judæus (nativitate v. 15.) exiſtens vivis in Chriſtianiſmo tuo ethnicè, nulla faciens bona opera, ſive ceremonialia, ſive moralia, ut per ea juſtificeris, atque adeò non judaicè, ut exiſtimes ad juſtificationem neceſſaria; quare facis ſcandaloſo facto tuo, & quidem in re merè ceremoniali, ut gentes putent, ſibi judaizandum eſſe, ſeu facienda ſibi eſſe tàm ceremonialia, quam moralia opera, ut inde juſtificentur? Interrogatio 3. vehementer negat, & ideò accuſat: *quare cogis judaizare?* h. e. non rectè facis, quod cogis judaizare, & meritò accuſaris. Tribuit itaq; 4. Paulus Petro, quod gentes cogat judaizare: non quod effectivè hoc fecerit, aut præceptivè, ſed moraliter & *interpretativè*, quia ſcandaloſè à gentilibus ſe ſubduxit, quaſi non eſſet licitum ethnicè vivere. Cæterum VI. probat Paulus, Petrum ethnicè in Chriſtianiſmo vivere, & non judaicè, ex communi de *juſtificatione* doctrinâ & fide: quæ probatio ſimul ſecunda redargutionis Paulinæ ratio eſt. Licet enim *Juſtin.* h. l. cum *Oecumenio* & aliis putet, v. 15. Paulum alloqui Galatas, & hoc dicere, quod non gentis aut religionis Judaicæ odio moveatur, cum ipſe ortu Judæus ſit, &c. nobis tamen ſententia non placet. *Nos, inquit, nativitate Judæi*, &c. Ubi I. argumentum hoc eſt; *Quic. nativitate Judæi, & non ex gentibus peccatores, ſcientes, quod non juſtificetur homo ex operibus legis, ſed ex fide JEſu Chriſti, & ipſi, ſicut gentes, in JEſum Chriſtum crediderunt, ut juſtificentur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis: illi in ſuo Chriſtianiſmo ethnicè vivunt & vivere debent, non judaicè. Atqui nos omnes, atque adeò etiam tu,*

Petre, nativitate Judæi, & non ex gentibus peccatores, &c. *Ergò*. 2. Ad faciendam cohærentiam manifeſtiorem ſubaudiri poteſt cauſalis γὰρ, *enim*, h. m. *Nos enim natura Judæi*, &c. Sæpè enim cauſalis omitti ſolet. 3. Φύσει, *natura*, ſignificat ortum originemque per nativitatem. Judæi enim etiam erant poſteri patriarchales ante circumciſionem, ob promiſſionem patribus factam, vi cujus circumciſio cum fructu ſuo, & quæcunque bona Eccleſiæ ad ſemen patriarchale pertinebant. Habebant nimirum eam per nativitatem ſanctitatem, quam etiam Chriſtianis infantibus Paulus adſcribit, 1. Cor. VII. v. 14. Notanda eſt vocis ſignificatio contra Photinianos & Pelagianos. 4. Sequentia verba non uno modo conſtruunt. Quidam enim ita: *Nos natura Judæi, & non ex gentibus peccatores*; *Primaſius* verò: *Nos natura Judæi, & non ex gentibus, peccatores*, &c. In priori conſtructione gentes vocantur peccatores, ex more Judaicæ appellationis, juxta *Auguſtinum*, h. e. carentes regula divinæ legis, & per hoc abeuntes in omne genus peccatorum præcipites, ut *Eſtius* exponit; vel, ut B. *Lutherus* in h. l. Non ſumus peccatores ſine lege & operibus, ut gentes, ſed Judæi & juſti naſcimur & educamur, juſtitia noſtra ſtatim orditur ab ipſa nativitate, quia Judaiſmus eſt nobis adnatus; vel, ut D. *Hunnius*, nec oriundi ſumus ex populo gentili, olim idolomaniæ aliisque craſſis flagitiis dedito, & ob hæc à teſtamentis promiſſionis alieno. In poſteriori verò conſtructione Judæi dicuntur peccatores juxta communem humani generis ſortem; quam imprimis Apoſtoli, & omnes ad Chriſtianiſmum converſi, agnoſcebant. Et fatemur, nobis hanc quoque conſtructionem magis arridere. Nam (1) non videtur Apoſtolus vocare voluiſſe *gentes* hîc loci peccatores more Judæorum, ubi contra Judæos ſuperbos cum reprehenſione etiam Petri defendit. (2) Patet ex Ep. ad Rom. quod Paulus, quando de juſtificatione acturus eſt, peccatores nos eſſe omnes prius doceat, aut moneat ſaltem. (3) Cohærentia quoque optima, ſc. *Nos naturâ Judæi, & non ex gentibus, peccatores tamen & ipſi, cùm agnoſceremus, non juſtificari poſſe propter id ipſum, quod peccatores ſimus, ex operibus legis, ipſi etiam, ſicut gentiles, credidimus*, &c. At jam 5. opponuntur ſibi juſtificatio ex operibus legis, & ex fide. Etſi enim *Bellarminus*, & nonnulli ex Pontificiis cum illo, oppoſitionem tollunt, & τὸ, ἐὰν μὴ, *exceptivum* facientes ita vertunt:

 ſcien-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

ſcientes, quod non juſtificetur homo ex operibus, niſi ex fide JEſuChriſti; quaſi nimirum ſi fides ad opera legis accedat, tum opera legis juſtificare poſſint: attamen (1) oppoſitionem tantam, quâ omnis juſtificatio operibus legis, etiam cum fide conjunctis, negetur, agnoſcunt alii ex Pontificiis minus impudentes. Ex quibus *Eſtius* h. l. expreſsè dicit, interpretationem, tanquam Apoſtolico ſenſui & ſcopo contrariam, omninò repudiandam eſſe; & hoc ipſum manifeſtum eſſe. Et ſanè clara eſt oppoſitio ex ſubſequentibus: *Ut juſtificaremur ex fide, & non ex operibus legis. Alii* itaque *Pontificiorum ſunt, qui opera ceremonialia tantùm* per legis opera intelligunt. Sed & hoc falſum eſſe, annotat iterum *Eſtius*, intelligere dicens Apoſtolum per opera legis non ſola ceremonialia legis Moſaicæ, velut circumciſionem, ſabbatum, neomeniam, &c. ſed in univerſum opera qualiacunque, ex lege, id eſt, ex ſola legis cognitione, facta, etiamſi moralia tantùm ſint. Cui conſentit *Juſtinianus Jeſuita* in h. l. ſcribens, Paulum univerſim excludere omnia opera legis, quâ legis ſunt. Conf. D. *Hunnius* h. l. qui argumentis prolixiùs probat, opera moralia hîc quoq; intelligi. Hoc itaq; ultimũ Pontificiorum refugium, intelligi *opera legis, quà legis, non quà gratia*, h. e. quatenus proveniunt ex viribus hominis naturalibus, non autem ex viribus renovationis gratiâ donatis. Sed Noſtrates contra unanimi ſenſu interpretantur de quibuscunque operibus legi præſtitis, ſive ex viribus naturæ, ſive ex viribus renovationis proveniant. Et contra diſtinctionem Pontificiorum diſputat iterum D. *Hunnius* in h. l. Sanè fictam eſſe iſtam diſtinctionem, inde patet, quia nuſquam in Scripturâ opera legis dicuntur illa tantum, quæ ex viribus naturæ procedunt: nec ratio eſt, cum omnia opera, ſive renatorum ſive non renatorum, ſint opera legis, h. e. à lege præcepta & ſecundum legem facta. Et in noſtro imprimis loco res manifeſta eſt; quippe in quo non eſt quæſtio de nondum credentibus, & nondum renatis, ſed de credentibus & renatis, Ethnicis nim. fidelibus, de quibus Paulus teſtatur, quod Spiritum acceperint, cap. III. v. 2. quod Chriſtum habuerint, cap. V. v. 4. Et quidem de his quæſtio fuit, non quomodo rurſus inciperent, ſed quomodo cœptum abſolverent, cap. III. v. 3. Atqui cœperant Spiritu, ibid. Jam verò etiam *juſtificandi* verbum non notat *juſtum facere* per inhærentem juſtitiam, ut

Pon-

Pontificii ſomniant, ſed juſtum pronuntiare in judicio: quod prolixius oſtendunt Scriptores LL. CC. Vid. D. *Gerh. Loc. de Juſtificat.* Equidem *Eraſmus Schmidius* ad Matth. XI. v. 19. annotat, δικαιόω ex ſuâ natura & proprietate ſignificare *juſtum efficio, juſtifico*: eam enim eſſe vim verborum in όω ex nominibus in ος formatorum, ut ſignificent id, quod nomen ſignificat. Sed ſi putat, ſignificare juſtum efficere inhærente juſtitia, multùm profectò decipitur. Etſi namque verborum in όω dictorum vis ſit, ut ſignificent, efficere id, quod nomen ſignificat, tamen hoc efficere diverſum eſt, ut ipſa nomina diverſa notant: δουλόω, eſt *ſervum efficio*, χρυσόω *inauro*, δηλόω *manifeſtum facio*; atqui aliter homo fit ſervus, aliter inauratur poculum, aliter manifeſtum fit intellectui vel oculo cæco, quod in ſe clarum eſt. Eſt etiam δίκαιος, *juſtus*, alius in ſe, alius in foro. Jam δικαιόω ſine dubio Græcis uſurpatum eſt, antequam ipſis notum eſſet, juſtitiam inhærentem in ullo homine creari. Quomodo ergò de ejusmodi juſtitiæ infuſione uſurpare potuiſſent? Scriptura autem ſtylum eorum imitatur. Tandem per *fidem*, quæ ſola nominatur à noſtro Apoſtolo, non niſi duriſſimo tropo opera ex fide nata intelliguntur; imprimis, ubi operibus legis eſt oppoſita. Quare omninò noſter Apoſtolus hoc vult, *non juſtificari* ſeu *abſolvi in judicio divino ex operibus quibuscunq; ſecundum legem factis hominem ullum, ſive renatum ſive non renatum; ſed ex ſola fide, quâ Jeſus Chriſtus & juſtitia ejus apprehenditur, & pro homine in judicio divino ſiſtitur, tam ad impetrandam remiſſionem culpæ, quàm dona gratiæ & vitæ æternæ.* Quod ſequitur 6. *propterea quod non juſtificabitur ex operibus legis omnis caro*, contra ſanè ſtylum Scripturæ B. *Hieronymus* accepit pro particulari, *Non omnis caro juſtificabitur*, h. e. aliqua tantum caro juſtificabitur, ſc. Judæi. Quod meritò refutant & mirantur in illo Interpretes. Vid. *Juſtin.* h. l. Certum eſt communiter, idem valere ac, *nulla caro* h. e. homo *juſtificabitur.* Sed cohærentia cum antecedentibus eſt difficilis ut evadatur tautologia: nam hæc idem videntur ſonare, *quia non juſtificatur homo ex operibus legis*, &, *propterea quod non juſtificabitur ex operibus legis ulla caro.* Quidam pro concluſiva ſumunt τὸ διότι, q. d. *Itaque non juſtificatur ex operibus legis ulla caro.* Vid. *Juſtin.* h. l. Quidam epiphonema

 faci-

faciunt, q. d. ſcilicet, non juſtificabitur ex operibus legis ulla caro. Vid. *Eund.* Alii *cauſale* faciunt, h. ſ. nos credidimus in Chriſtum, propterea, quod non juſtificabitur ex operibus legis ulla caro. Vid. *Eund.* in h. l. Conf. D. *Hunn.* h. l. At B. *Lutherus* putat, Paulum nunc convertere ſermonem ad Galatas, q. d. Cum res ita ſe habeat, quod per fidem in Chriſtum juſtificemur, ergò ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro. Nobis videtur res ex *diverſitate temporum* conficienda. Nam in præcedentibus Apoſtolus locutus eſt in præſenti: *Scientes, quod non juſtificetur homo* (peccator) *ex operibus legis*, ſc. in hâc vitâ per doctrinam & miniſterium hominum, &c. Unde verò *ſcientes iſtud?* & quare iſtud? *Propterea quod non juſtificabitur ex operibus legis ulla caro*, ſc. coram DEO, Rom. III. v. 20. h. e. in altero ſeculo. Jam verò forum Eccleſiæ in hoc ſeculo ſequi debet forum DEI in altero ſeculo. Et ſic benè cohærebunt omnia.

V. 17. -- fin.

Si verò quærentes juſtificari, &c.) Verba à v. 17. uſque ad fin. non erunt obſcura, modò de cohærentia cum antecedd. conſtiterit. Quidam ita connectunt: *Si nos*, h. e. Petrus & Paulus, dum relicta lege fidem Chriſti complexi ſumus, ejusque fidei beneficio juſtificationem quærimus, nunc tamen à gentilium convictu recedentes id agimus, ut, qui circumſione carent, immundi cenſeantur; planè ſequitur, Chriſtum peccatum fovere, dum à lege & circumciſione revocat, & ad fidem adducit. Ita *Chryſoſt.* & *Hieron.* & qui illos ſequuntur apud *Juſt.* h. l. Alii: Chriſtus à lege revocat ad fidem; quod ſi fides non tollit peccatum, niſi lex acceſſerit, profectò videbitur Chriſtus peccato patrocinari, qui à lege abducat, cujus vi peccatum expiatur. Ita *Juſtin.* h. l. *Eſtius* h. l. Aliud tamen etiam *Eſtius* habet, quod adferre piget. Fortè ex B. *Luthero* ſumſerunt iſti, quod habent. Ita enim ille: *ſi conamur per fidem in Chriſtum juſtificari, & ſic juſtificati invenimur adhuc peccatores, indigentes lege, quæ nos peccatores juſtificet*; vel, *ſi juſtificatus per Chriſtum debet adhuc per legem juſtificari, tunc Chriſtus nihil aliud eſt quam legislator, & miniſter peccati.* Conf. D. *Brentius* h. l. D. *Hunnius* non abit, quando Paulum facit argumentantem ab abſurdo: Abſurdum eſt, facere Chriſtum miniſtrum peccati; atqui ſi fide in Chriſtum non juſtificamur,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

ſed operibus legis, utique Chriſtus nos in peccatis noſtris relinquit, nec juſtitiam affert, ſed peccatum tantum manifeſtat, atque ſic peccati miniſter eſt, &c. In eund. ſenſum *Calvinus, Pareus*, & alii. Verumenimverò ſi, quod in Reſolutione indicavimus, hîc fecerimus *Objectionis occupationem*, omnia plana erunt. Objectio inde naſcitur, quod Paulus modò dixit, ex operibus legis non juſtificari ullam carnem, nullum ſc. hominem, ſive renatus ſive non renatus fuerit. Unde: Q. non poteſt juſtificari per opera legis, ſed quærere cogitur per Chriſtum juſtificari, ille adhuc invenitur peccator; ideo namque non juſtificatur ex operibus legis, quia opera legis non poteſt perfectè implere. Homo, etiam renatus, non poteſt ex operibus legis juſtificari, ſed quærit per Chriſtum juſtificari: E. omnis homo, etiam nos renati, invenimur adhuc peccatores. Et porrò: *Si in Chriſto adhuc invenimur peccatores, ſequitur, quod Chriſtus ſit miniſter peccati.* Sed Paulus negat conſequentiam, adhibita diſtinctione peccatoris, ut in reſolutione habuimus. Verbum ζητεῖν quod attinet, quando dicit, *Si verò* ζητοῦντες, *quærentes juſtificari; quærere* non eſt fruſtranei conatus, ſicut Judæorum, Rom. X. v. 3. ſed eſt *quærere firmæ fidei.*

Caput III.

Analyſis.

COmmuniter Interpretes hoc Caput tertium ita reſolvunt, ut dicant, Apoſtolum Paulum pergere in argumentando pro ſuâ theſi, quod homo non ex operibus legis, ſed ex ſola fide juſtificetur: præmiſſa itaque objurgatione faciunt tertium Apoſtoli argumentum ex v. 2. Ita D. *Hunnius, Balduinus, Pareus* & alii. Et ut breves ſimus, D. *Hunnius* ita reſolvit: *Diſputationem*, inquit, *de juſtificatione fidei ſecundo capite cœptam nunc perſequitur Apoſtolus. Et initio ſuam propoſitionem* (quod non ex lege vel operibus, ſed ex fide in Chriſtum juſtificetur homo coram DEO) *pergit adſtruere firmiſſimis argumentis. Dehinc quasdam objectiones diluit, à pſeudoapoſtolis oberti ſolitas, & per occaſionem falſo legis uſu, quem illi tradebant, confu-*

tato verum ejusdem finem atq; uſum demonſtrat. Sic ille. Hæc, & ejusmodi reſolutiones, ſi cui placuerint, per nos quidem licet. Interim fatemur, nobis parum placere. Nam ſi continuat Paulus ſua argumenta, quî fit, quod non in una diſputatione omnia ponit? Nam cap. II. v. 14. ſeqq. diſputavit cum Petro, quem Antiochiæ redarguit in hypocriſin lapſum; quæ diſputatio aliquot annis præceſſit tempus ſcriptæ Epiſtolæ ad Galatas; at in cap. III. nunc diſputat cum Galatis: Quis non videat diverſas diſputationes diverſorum temporum? Quomodo ergò ita in unam contrahi poſſunt, ut in poſteriori tantum continuentur argumenta prioris? Largiremur libenter, quod dicunt, ſi ſic, aut ſimili modo, concepta forent verba Apoſtoli: *Iſtis, quæ præmiſi, argumentis tum temporis contra Petrum diſputavi: jam verò plura vobis, ô Galatæ, addam,* &c. Atqui ita Apoſtolus non loquitur.

Itaque nos ita reſolvimus, ut dicamus, ab hoc capite incipere *quartam* hujus Epiſtolæ partem principalem, quæ ſit *confutatio ſententiæ contrariæ.* Nam prima pars fuit *Inſcriptio*: ſecunda, *Propoſitio*; Peſſimè feciſſe Galatas, qui ab ejus, qui eos vocavit in Chriſto, receſſerint gratiâ ad aliud Evangelium: *tertia Propoſitionis confirmatio,* inſtituta eo modo, quo hactenus vidimus. Quarta itaque jam erit *Confutatio.* Et eſſe etiam aliquam in noſtro capite confutationem, non negavit ſanè D. *Hunnius*, quando dixit, *per occaſionem à Paulo in hoc capite falſum legis uſum, quem pſeudoapoſtoli tradiderint, confutatum eſſe.*

Confutatio verò, quam dicimus, ita hoc capite inchoatur, ut duas capitis partes facere poſſimus.

In priori capitis parte refutatur novum pſeudoapoſtolorum dogma, ad quod ſe transponi paſſi Galatæ, quibusdam argumentis, à v. 1. usque ad v. 19. excluſ. Ubi I. proponitur *argumentum generale*, deſumtum à confirmata jam olim ſententia Apoſtolica, & confutata contraria; quod in forma ita habere poteſt: *Quæc. ſententia in prima converſione Galatarum unà cum confirmato Paulino Evangelio ita ſolidè fuit refutata, ut faſcinatum eſſe oporteat & ſtultum, qui ad illam ab Evangelio Paulino tranſeat, illa ſententia nullius ponderis aut ſoliditatis eſt. Atqui ſententia pſeudoapoſtolorum de juſtificatione hominis ex operibus legis jam olim in converſione Galatarum unà cum confirma-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

firmato Evangelio Paulino ita ſolidè refutata eſt, ut oporteat Galatas faſcinatos & ſtultos eſſe, ſi ad illam tranſeant. Ergò. Major manifeſta eſt. *Minor* probatur, quia JEſus Chriſtus præſcriptus ab Apoſtolo fuit Galatis ad oculum, tanquam in illis crucifixus, v. eod. Simplicius ita argumentum formari poteſt: *Quæc. ſententia ita comparata eſt, ut de Chriſto ſatis informatum oporteat ſtultum & faſcinatum eſſe, ſi non videat, eam veritati contrariari, illa ſanè nullius ponderis aut ſoliditatis eſt. Atqui* &c. *Ergò.* II. Subjiciuntur *argumenta ſpecialia*, (quæ quidem jam olim, Act. 16, 6. & cap. 18, 23. ſine dubio Galatis erant propoſita, adeoque in generali contenta; ſed Apoſtolus illa denuò, tanquam præcipua, inculcare voluit;) ex quibus I. eſt deſumtum *ab initio Chriſtianiſmi.* Argumentum hoc eſt: *Per quod juſtificatio, Chriſtianiſmus, & opus ſalutis noſtræ incepit totum, per illud etiam continuatur & abſolvitur. Atqui per auditum Evangelii ſeu fidei, non per opera legis,* &c. *Ergò Major* probatur 1. ex tanta rei evidentia, ut ſtultum ſit, aliter incepiſſe, & aliter velle abſolvere: *adeò ſtulti eſtis,* &c. v. 3. 2. Quia aliàs initium olim factum ſit prorſus fruſtraneum: *Tanta ne fruſtra paſſi eſtis,* &c.? v. 4. *Minor* probatur ex eo, quia Galatæ ſpiritum acceperunt non ex lege, ſed auditu Evangelii ſeu fidei. *Quicunq;* nimirum *non ex operibus legis, ſed auditu fidei acceperunt Spiritum ſanctum, apud illos juſtificatio, Chriſtianiſmus, totumq; opus ſalutis incepit per auditum fidei,* &c. *Atqui Galatæ non ex operibus,* &c. *Ergò.* v. 4. 5. II. Argumentum ſpeciale eſt à *filiatione Abrahamica ſpirituali. Per cujuscunque contrarium reddimur filii Abrahami ſpirituales, per illud non juſtificamur, nec ſalvamur. Atqui per operum legis contrarium, h. e. per fidem, reddimur filii Abrahami ſpirituales. Ergò per opera legis non juſtificamur nec ſalvamur. Major* clara eſt, quia juſtificati ſunt filii Abrahæ, & per juſtificationem; adeò ut juſtificati & filii Abrahami ſint iidem, v. 7. *Minor* probatur ex v. 6. *Per quodcunq; Abrahamo fuit imputata juſtitia, adeoque Abrahamus juſtificatus eſt, per illud reddimur filii Abrahæ. Atqui per fidem Abrahamo fuit imputata juſtitia,* &c. *Ergò.* III. Argumentum ſpeciale, *à promiſſione Abrahamo facta de benedictione gentium. Per cujus contrarium Scriptura præſcia jam olim promiſit juſtificatum iri gentes, per illud non eſt juſtificatio hominis. Atqui per con-*

 tra-

trarium operum legis, fidem ſc. Scriptura, &c. *Ergò. Major* certa eſt, quia promiſſio divina non fallit. *Minor* probatur: *Quæcunque ſcriptura promiſit jam olim, benedicendas in Abrahamo eſſe omnes gentes, illa promiſit per contrarium operum, fidem, juſtificatum iri gentes. Atqui*, &c. *Ergò. Major* probatur; quia promiſſionis verba hoc volunt, quod ii, qui ex fide ſunt, ſint benedicendi cum fideli Abrahamo. Itaque: *Cujuscunq; promiſſionis ſenſus hic eſt, quod, qui ſunt ex fide*, &c. *in illa Scriptura dicit, per contrarium operum, fidem, juſtificatum iri gentes. Atqui promisſionis, benedicentur in te*, &c. Ergò. *Major* clara iterum. *Minor* probatur; quia, qui ex operibus legis ſunt, ſunt ſub maledictione. *Quicunque ſub maledictione ſunt, de illis non poteſt accipi promiſſio benedictionis, in te benedicentur*, &c. *ſed de illorum contrario, h. e. iis, qui ex fide ſunt. Atqui, qui ex operibus legis ſunt, ſunt ſub maledictione. Ergò.* Et per conſequens; Promiſſionis ſenſus non ille eſt: qui ex operibus legis ſunt, benedicuntur cum Abrahamo; ſed hic: Qui ex fide ſunt, &c. *Major* rurſus certa eſt. *Minor* probatur; quia ſcriptum eſt: *Maledictus omnis*, &c. v. 10. Unde: *Quicunque non faciunt omnia, quæ* &c. *illi ſunt maledicti, ſeu ſub maledictione. Atqui omnes, qui ex operibus legis ſunt*, &c. *Ergò.* IV. Argumentum ſpeciale ex prophetia Habacuci, de *vita ex fide. Per cujus contrarium juſtus vivit, per illud non juſtificatur homo ullus apud DEum. Atqui per contrarium operum legis, fidem ſcilicet*, &c. *Ergò. Major* certa eſt, quia vita ſpiritualis & juſtificatio apud DEum pari paſſu ambulant. Vel potius: *Quicquid non eſt ex fide, per illud nemo juſtificatur. Atqui lex non eſt ex fide. Ergò. Major* probatur; quia dicitur: *Juſtus ex fide vivet.* At vita ſpiritualis & juſtificatio pari paſſu ambulant. *Minor* probatur; quia, qui facit legem, ille vivit per legem; non autem qui credit. V. Argumentum ſpeciale eſt à *redemtione Chriſti. A cujuscunq; maledictione redemit nos Chriſtus, per illud non juſtificamur. Atqui à maledictione legis*, &c. *Ergò. Minor* probatur, quia lex eſt, quæ maledicit ſuſpenſo in ligno. VI. Argumentum ſpeciale, *à tempore: Cujuscunq; poſita juſtificatione abrogatur præcedens ſeu prius factum fœdus DEI, per illud non juſtificantur homines. Atqui legis poſitâ juſtificatione*, &c. *Ergò. Major* probatur, quia ne hominis quidem fœdus ſeu teſtamentum

abro-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

abrogari poteſt confirmatum. *Minor* probatur, quia teſtamentum DEI prius factum eſt teſtamentum promiſſionis in Chriſtum, & quidem confirmatum; jam verò promiſſio non ad legem pertinet. Atque hæc eſt prior Capitis pars.

Poſterior Capitis pars *occurrit quibusdam Exceptionibus*, à v. 19. uſque ad fin. Cap. *Ima Exceptio* habetur v. 19. Cujus notanda 1. *occaſio*; dixerat nimir. Apoſtolus, legem poſt 430. annos demum additam eſſe fœderi Abrahamico, nec potuiſſe illud abrogare, ut juſtificet homines per opera ſua. Contra hoc excipi poterat: Fruſtrà ergò legem eſſe ſuperadditam, ſi non juſtificet. Et 2. Exceptio in forma ita habebit: *Quæc. doctrina fœderi Abrahamico confirmato eſt ſuperaddita ita, ut fœdus hoc non poſſit abrogare, nec juſtificare homines, illa doctrina fruſtrà eſt addita. Atqui doctrina legis, juxta Paulum &c. Erg.* Sed 3. *reſpondet* Paulus *negando Majorem*. v. eod. *Ratio* 4. negatæ *Majoris*; quia non eſt immediata oppoſitio, *aut juſtificare, aut fruſtrà eſſe*; quia dantur alii fines, & nominatim hic: *oſtendere transgreſſiones*. Hoc eſt, quod dicitur: *Transgreſſionum gratia addita eſt* &c. Et 5. datam eſſe legem transgreſſionis gratia, ex abundanti confirmat Apoſtolus ex eo, quod data ſit per angelos miniſterio mediatoris, Moſis ſc. qui typus erat mediatoris Chriſti. *Ubi eſt mediator interveniens, ibi eſt transgreſſio, propter quam mediatoris officio fungitur. At in legiſlatione fuit mediator interveniens: Ergò ibi erat transgreſſio.* Ea verò porrò non erat ex parte DEI, qui unus & immutabilis per omnia, transgreſſioni non obnoxius, adeoque mediatoris non indigus: Ergò ex parte hominum. Porrò ſi ex parte hominum erat transgreſſio, ob quam mediatore opus erat; utique lex transgreſſionem jam tum oſtendit, & data eſt propter transgreſſiones oſtendendas; non ad juſtificandum, quod ob transgreſſiones facere non potuit. *IIda Exceptio* habetur v. 21. ubi notandum 1. contra quid excipiatur? Dixerat Apoſtolus in reſponſione ad præcedentem exceptionem, quod lex addita ſit fœderi promiſſionum Abrahamico, uſque dum veniret ſemen, h. e. Chriſtus. Conſequitur ex hoc, quod lex ceſſare debuerit, quando venit Chriſtus ſemen. Unde excipi poterat: Ergo lex eſt contra promiſſiones in Chriſto factas. 2. Exceptio in forma hæc erit: *Q. doctrina ceſſare debuit Chriſto veni-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

ente, illa promiſſionibus in Chriſto factis eſt neceſſariò contraria. Atqui legis doctrina &c. *Ergò. Minor* Pauli eſt. *Major* probatur, quia illa demum ſimul ſtare non poſſunt, ſed ſe invicem tollunt, quæ ſibi ipſis invicem contrariantur. Sed *reſpondet* Apoſtolus 1. *negando Majoris conſequentiam; Abſit.* v. 20. 2. *Retorquendo;* Potius ex contraria pſeudoapoſtolorum ſententia, quia per opera legis juſtificetur homo, ſequi, legem eſſe contra promiſſiones in Chriſto factas. Nam *ſi data eſſet lex, quæ juſtificare poſſet, reverâ ex lege eſſet juſtitia*, v. eod. *Atqui hoc expreſſè contrariatur promiſſionibus, quæ promittunt juſtitiam in Chriſto, non ex lege.* Quod *probatur*, quia *Scriptura concluſit omnia ſub peccatum*, &c. v. 21. 3. *Sententiam ſuam declarando*: & quidem (1) *quoad uſum legis dictum*, qui eſt, oſtendere transgreſſiones: quem obtinere potuit, antequam fides veniret, ita ut ſub legem in cuſtodiam daremur, qui concluſi jam per Scripturam eramus ſub peccatum, in futuram fidem revelandam ſuo tempore, ut per iſtam legis cuſtodiam maneremus concluſi, v. 23. Qui uſus legis ante Chriſtum ut erat neceſſarius, ita non repugnabat promiſſionibus & Chriſto, cùm fuerit hac ratione lex pædagogus noſter in Chriſtum &c. v. 24. (2) *Quoad abrogationem legis;* iſtam nimirum legem ceſſare, poſtquam venit fides ſive Chriſtus; non quod repugnet per ſe promiſſionibus aut Chriſto; ſed quia pædagogia illius non amplius opus ſit. Atque adeò lex in ſe non eſt abrogata, aut quoad ſeipſam: ſed quoad iſtum uſum ſuum, v. 25. *Probatur*: quia *jam filii DEI ſumus per fidem in Chriſtum*, expleto tempore præſtituto, quo neceſſario pædagogia ceſſat, v. 26. *Probatur, eſſe nos filios*, ex effectu baptiſmi; *quotquot baptizati* &c. v. 27. ſeqq. Nam in baptiſmo induimus Chriſtum, v. 27. In Chriſto omnes ſumus unus, unū corpus Chriſti. v. 28. qui autem Chriſti, ſemen Abrahæ, atque adeò filii, & quidem filii ſecundum promiſſionem hæredes. Hactenus reſolutio.

Exegeſis.

V. 1.

O ſtulti Galatæ &c.) Incipi hic confutationem contrariæ ſententiæ per argumentum generale, ſatis in reſolutione indicatum eſt, nec repetimus. Severè loquitur Apoſtolus cum Galatis, quando 1. *ſtultos*

vo-

vocat: non tamen convitiandi cauſa, ſed pio zelo. Vid. B. *Luther.* h. l. B. *Hieronymus* putavit, exprobrari nativam gentis ſtultitiam: quod verò aliis non placet; vid. *Pareus* h. l. nec ſine cauſa. Ita autem etiam Chriſtus reprehendit diſcipulos Emaunticos, Luc. XXIV. Conf. D. *Hunn.* h. l. *Vulgatus* barbarè: *ô inſenſati.* Præter zelum tamen etjam Paulus rei ipſius gratia tam ſeverè locutus eſt, ut momentum ejus indicaret, oſtenderetque, non de re levi agi, ſed in quâ ſapientia ſalutaris verſetur, & quam ſi quis amittat, ſtultus ſit in ſpiritualibus, & faſcinatus à diabolo, nec ſalutis æternæ capax. Fundamentalis nimirum eſt articulus de juſtificatione. *Faſcinum* 2. quid ſit, & quotuplex, videantur B. *Lutherus*, *Pareus*, *Eſtius* h. l. Præferenda eſt utique ſententia, quæ tropum ſumtum ait à faſcinatione oculorum, ut, quod clarum eſt, non videant; vid. D. *Hunn.* h. l. *Pareus* h. l. nam & mox oculorum fit mentio; q. d. Quis faſcinavit oculos veſtros, ut non videatis, falſam eſſe ſententiam pſeudoapoſtolorum, credatisque illi potius, quam veritati, quæ tamē vobis ad oculum demonſtrata & præſcripta eſt? 3. Quando quærit: *Quis faſcinavit vos?* putant, culpam rejici in pſeudoapoſtolos, & quodammodo excuſari Galatas. Sed malumus, eſſe interrogationem admirantis; non neſcientis. Probè enim noverat, quod faſcinati eſſent Galatæ à diabolo & miniſtris ejus, pſeudoapoſtolis: ſed admiratur, quod Galatæ hoc paſſi ſint, cùm videri potuerit impoſſibile, ut illi, qui tàm egregiè in fide fundati erant, ab ullo faſcinari poſſent etiam diabolo. Conf. Cap. I. v. 6. *Minor* &c. Diſcamus hinc, quanta ſit ſtultitia naturalis, per quam homines etiam fideles ejusmodi faſcinationi tamen ſunt obnoxii. Diſcamus, quod fides etiam eorum, qui heröes videri poſſunt, tamen ſit amiſſibilis. Converti tamen etiam denuò poſſunt, imprimis etiam ſeveris objurgationibus, ut veternus illis excutiatur, & glaucoma disjiciant. Verbum πείθεσθαι 4. quidam vertunt *credere*; alii, *obedire*. Ubi non neceſſariam litem prolixè trahit *Eſtius* h. l. Nam obedire veritati, & credere veritati, coincidunt, ut &, perſuaderi veritatem. Nam fides eſt certa perſuaſio, quæ obedit & humiliat ſe coram DEO petens gratiam ejus in Chriſto. Etſi verò non omnes Galatæ veritati non amplius crediderunt, multi tamen jam lapſi erant, & reliqui in periculo. 5. Quod dicitur, *ob oculos præſcriptus*, malè

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

Vulgatus vertit, *proſcriptus*: Etſi *Pareus* cum aliis apud *Eſtium* h. l. in bonum ſenſum, quaſi Chriſtus propoſitus fuerit Galatis, tanquam proſcriptus damnationis ſententia, interpretetur. Quem tamen ipſe non amplectitur. Et ipſe *Eſtius* accipit pro præſcripto, & prius ad rem præſentem non facere ſtatuit. *Hieronymus* ita exponit, quaſi Apoſtolus de prophetiis loquatur, & dicere velit: Quibus Chriſtus in prophetiis jam olim ob oculos ſcriptus eſt. Sed communiter & melius de *informatione Pauli* accipiunt, ut intelligatur, *per me*; q. d. Quibus *à me* vel *per me* ob oculos præſcriptus eſt JEſus Chriſtus. Sed hîc tamen plerique præpoſitionem πρὸ, de propoſitione, quæ coram fit, q. d. *ob oculos propoſitus eſt*, accipiunt: *Beza* verò temporis facit, *ob oculos jam olim poſitus* ſeu ſcriptus eſt; quod malim, quia propoſitio ſatis indicatur per, *ob oculos*. Scriptura autem eſt hîc pictoria, clara, perſpicua. Benè *Lutherus*; vor die Augen gemahlet. Tandem 6. τὸ *in vobis crucifixus*, quidam in vituperium Galatarum, qui denuò Chriſtum crucifixerint, interpretantur. Sic etiam B. *Lutherus*. *Cajetanus* duriſſimè, quaſi Chriſtus in Galatis patientibus paſſus ſit; juxta illud: *Saul, Saul, quid me perſequeris*? Communiter de clara propoſitione exponunt; q. d. Ita clarè præſcriptus, quaſi coram vobis crucifigeretur, & non audiretis tantùm concionem de crucifixione, ſed ipſum factum ſpectaretis. Ita *Hunnius*, *Pareus*, *Eſtius*, & *alii*. Bona eſt *Lutheri*, bona & hæc expoſitio: malim tamen, Chriſtum in Galatis dici crucifixum, quia ita pro ipſis, quaſi in ipſismet: ſicut aliàs nos dicimur cum Chriſto crucifixi. Et eſt ad rem præſentem, ubi de juſtificatione ex fide in Chriſtum diſputatur, dicere, quod Chriſtus in Galatis crucifixus ſit, atque adeò per Chriſtum juſtificentur, & in Chriſto ſit juſtitia illorum, ut operibus legis ad juſtificationem opus non habeat. Et validum eſt contra pſeudoapoſtolos, qui non negabant, Chriſtum pro nobis crucifixum; negabant autem in nobis crucifixum, ut crucifixio ejus ſit noſtra, & juſtitia crucifixione parta nobis donetur, quaſi noſtra foret.

V. 2. 3 4. 5.

Hoc ſolum volo diſcere, &c.) In his verſibus unum idemque argumentum Apoſtoli contineri, quod v. 5. repetatur, plerique ſtatuunt Vid. D. *Hunn.* h. l, *Eſt.* h. l, *Pareus* quidem dubius, annon v. 5.

novum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

novum argumentum comprehendatur. Nos idem eſſe putamus argumentum, ſed conſutationis potius, quàm confirmationis, juxta Analyſin. Agit autem in hujus argumenti propoſitione Paulus, ut artifex. Primò interrogat de eo, quo præſuppoſito argumentatio confeſſos ſtringit: *Hoc ſolummodo diſcere à vobis* &c. Ne tamen ſubdolè videatur agere, mox exponit, quò tendat interrogatio ſua; nim. ut oſtendat, ſtultos ipſos eſſe, qui ſpiritu cœperint, & carne velint perficere; & qui fruſtrà hactenus tàm multa paſſi ſint. Et poſtquam ita declaravit intentionem ſuam, reaſſumit ſuam quæſtionem: *Qui igitur ſubminiſtrat ſpiritum* &c? Paraphraſis verborum hæc eſſe poterit: *Unum tantùm ab initio hujus diſputationis ex vobis ſcire & diſcere cupio; utrum ex operibus legis, an verò ex auditu fidei ſpiritum acceperitis? Et ut intelligatis, quò hæc mea quæſtio tendat, hoc volo vos, ubi deprehenderitis, quod omninò ex auditu legis acceperitis ſpiritum, commonefieri, annon ſtulti ſitis, qui ſpiritu inceperitis, & carne velitis perficere? qui faciatis, ut, quæ hactenus paſſi eſtis, fruſtrà paſſi ſitis? Certè enim ſtultus eſt, qui aliter incipit, & aliter abſolvit: & qui aliter abſolvit, quàm incepit, irritum facit totum initium, & quæcunque pro illo paſſus eſt. Videtis itaque jam, quid ſibi velit quæſtio. Ut ergò ad eam nunc ſatis intellectam mihi reſpondeatis, repeto illam: Qui ſubminiſtrat ſpiritum vobis, & operatur virtutes in vobis; utrum ex operibus legis iſtuc facit, an ex auditu fidei? Certè non poteſtis hic aliud reſpondere, quàm hoc, quod ex auditu fidei acceperitis.* Nunc ad verba pauca annotabimus. Dicit autem I. τȣ̃το μόνον, *hoc unum*, vel ſolum: non quod hoc uno confutationem velit abſolvere; ſed quod, ut confutationi initium faciat, antequam ad ulteriora pergat, ante omnia hoc unum interrogare velit. Conf. *Pareus* h. l. Poſſis tamen ita etiam accipere: *Hoc, quod vel ſolum ſatis vos convincere queat, quamvis alia additurus ſim.* II. Θέλω μαθεῖν, *volo diſcere*: quod D. *Hunnius* ironicè exponit, q. d. Tam docti ſc. facti eſtis, ut plus ſciatis, quàm ego; docete ergo me. Simplicius tamen putarim, notari *explorationem mentis*; q. d. *Hoc unum volo diſcere & audire ex vobis, quid ſentiatis de hoc: utrum ex operibus legis* &c.? Qui namque alterius mentem explorat, diſcit & cognoſcit, quæ illa ſit. Interim Apoſtolus non dubitavit de

eo, quod conſcientia eorum convicta reſponſura eſſet. III. Τὸ πνεῦμα, *ſpiritum*, alii ſumunt pro donis miniſtrantibus, imprimis miraculoſis: alii pro ſpiritu regenerationis, vel adoptionis. Vid. *Pareus* h. l. Nos omnia conjungimus: nam in primitiva Eccleſia quando Spiritus S. dabatur per baptiſmum, regenerans & adoptans, ſtatim etiam addebat dona miraculoſa, quibus ſuam præſentiam gratioſam confirmabat. Inde v. 5. πνεῦμα καὶ δυνάμεις, *ſpiritus & virtutes* conjunguntur. Sed in miniſterio ſpiritus, qui ſe offerebat conferendum, ſimul faciebat miracula. IV. Per ἀκοὴν πίστεως nonnulli intelligunt prædicationem verbi, metonymiâ objecti, h. e. quo auditus pro objecto ſuo, quod audiendum, accipiatur. Vid. *Eſt.* h. l. Ita & B. *Lutherus*: oder auß der Predigt des Glaubens. *Beza* vertit: Ex fide auditu percepta. Vid. *Pareus* h. l. Aliis πίστις eſt *Evangelium*; q. d. An ex auditu Evangelii? Vid. id. *Pareus*. Nos mallemus: *Ex auditu fidei*, h. e. ex auditu fideli, ſeu auditu in fidem terminato. Opponit autem Apoſtolus ea, quæ ex parte hominis deprehenduntur, quæ ſunt vel opera legis vel fides. Eadem eſt ratio v. 5. & hic ſenſus: *Num DEUS vobis ſubminiſtravit ſpiritum, atque adeò vos fidem accepiſtis ex merito operum legis, quæ à vobis requiſiverit, & vos feceritis? an verò potius mediante tantùm auditu verbi Evangelii, & fide, quâ audientes illud apprehendiſtis?* V. Ἀνοήτους, *ſtultos* vocat, qui non vident, quod clarum eſt. Clarum enim eſt, non poſſe per unum contrariorum incipi, & per alterum abſolvi: cum contraria ſeipſa invicem deſtruant. Spiritus autem & caro ſibi invicem contrariantur, Gal. V. v. 17. Pro eo autem VI. quod dicendum fuiſſet: Adeò ſtulti eſtis, ut, cum inceperitis per auditum fidei, nunc per opera legis abſolvatis? dicit: ut, cum inceperitis ſpiritu, carne nunc abſolvatis? Quia perinde eſt: nam ſi ſpiritus per auditum fidei datus eſt, ſpiritus eſt tantùm, ubi fides eſt: & ubi ſunt opera legis, ibi relinquitur ſola caro: atque ſic pro auditu fidei rectè ſtat ſpiritus, & caro pro operibus legis. VII. τὸ εἴγε καὶ εἰκῆ, *ſi modò fruſtrà*, accipiunt de bona ſpe Pauli; q. d. ſpero tamen meliora, quod non fruſtrà; quia ad meliorem mentem reverſuri eſtis. Vid. D. *Hunn. Eſt. Par.* h. l. quaſi ſit correctio. Sed nobis eſt correctio gravius quid ſubjungens; q. d. *ſi modò fruſtra, & non potius majus damnum accepturi*

pturi

pturi ſitis. Innuit autem damnum amiſſæ ipſius ſalutis. Qui enim per opera legis ſalutem quærunt, ad ſalutem non perveniunt. IIX. v. 5. jam erit facilis, obſervatâ tantùm ellipſi : *Qui igitur ſubminiſtrat ſpiritum, & operatur virtutes, num ex operibus legis, an ex auditu fidei ſcil. facit iſta?* Reticetur autem ſimul reſponſio ad quæſtionem; quod in Scriptura fieri ſolet, ubi de convicta conſcientia non dubitatur; q. d. Scio, quod nihil, quod pro vobis ſit, reſpondere valeatis, & in conſcientia veſtra fateri cogamini, quod non niſi ex auditu fidei ſpiritum acceperitis.

V. 6. 7.

Quemadmodum Abraham credidit, &c.) In his verbis *novum* Pauli contineri *argumentum*, communiter obſervant, & rectè. Nobis eſt in confutatione ſecundum ſpeciale; vid. *Anal.* Sed obſtare videtur I. connexio : quia καθὼς, *quemadmodum*, non ſolet novum quid ſubjungere, ſed priora illuſtrare aut probare. Nodum hunc ita nonnulli ſolvunt, ut putent, in v. 7. ſupplendum eſſe redditivum, *ita, ſic*: Sicut Abraham credidit &c. *ita cognoſcitis*, vel cognoſcite, &c. Vid. *Beza, Eraſm. Schmid.* h. l. Neſcio, an idem velit verſio B. *Lutheri*: So erkennet ihr nu/ &c. Sed iſtud ſupplementum non admittit particula ἄρα: quod videns *Beza* vertit eam per *nempè*. Malim dicere, καθὼς, & ſimiles ſimilitudinis particulas, nonnunquam habere vim copulandi, & concordiam antecedd. & conſeqq. notare: q. d. *An verò ex auditu fidei?* Sanè, quod veſtra vobis dictat conſcientia, non ex operibus legis, ſed ex fide, accepiſtis ſpiritum, & juſtificati eſtis ab initio. *Quemadmodum etiam diſcimus ex eo, quod dicitur: Credidit Abraham DEO*; h. e. Quod ipſum & idem etiam probatur ex eo, quod dicitur: credidit Abraham, &c. Atque adeò novum argumentum nobis præbet: in quod conſentit etiam illud, quod Abraham credidit, &c. Jam II. in v. 7. particula ἄρα commodiſſimè poteſt verti per, *nempè, nimirum*, in h. ſ. Quemadmodum idem probatur porrò ex eo, quod dicitur: Credidit Abraham, &c. Quomodo verò? Nempè, cognoſcitis facile ex eo, quod dicitur, *credidit Abraham DEO, eos, qui ex fide ſunt, eſſe filios Abrahæ.* Jam verò ſi, qui ex fide ſunt, ſunt filii Abrahæ; utique etiam iis, qui ex fide ſunt, imputabitur fides in juſtitiam, atque adeò ex fide, & non ex operibus, juſtificabuntur. At

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

Beza incommodè nimis adhibuit τὸ *nempè*, quando vertit: *Ita cognoſcitis hoc, nempè quod*, &c. Apparet III. ex dictis, quod γινώσκετε non ſit *imperativus*, ut *Calvinus*, *Emſerus*, *Eraſm. Schmidius*; ſed *indicativus*, ut *Lutherus* & alii communiter. De dicto, *credidit Abraham DEO*, &c. alibi ex inſtituto agimus.

V. 8. 9. 10.

Quum verò prævideret, &c.) I. Per Scripturam h. l. intelligunt autorem Scripturæ, DEum vel Spiritum ſanctum. Vid. *Eſt.* in h. l. Et verum eſt, quod Scripturæ tribuatur *præviſio* propter autorem ſuum principalem, cujus eſt prævidere futura. Et rectè ex h. l. concluditur, quod cauſa Scripturæ principalis ſit DEus, cùm ſolius DEI ſit prævidere futura. Interim *Scripturæ* vocem in ſuâ proprietate relinquere malumus, & dicere, quod metonymicè effectui tribuatur id, quod cauſæ competit, maximè, quia per Scripturā DEus ſuam præviſionem revelat. Dura namque reſolutio foret: Prævidens verò DEus, quod ex fide juſtificaturus eſſet gentes DEus. II. Προϊδοῦσα *Vulgatus* reddidit, *providens*, non omninò malè; melius tamen eſt, *prævidens*. Vid. *Eſt.* h. l. B. *Lutherus* non malè obſervat, quod ſit præviſio contrarium præoccupantis; q. d. *Prævidens Scriptura, quod DEus ex fide juſtificaturus eſſet gentes, atq; ideò præoccupans contrarium, quaſi ex operibus juſtificaturus eſſet*, &c. III. Προευηγγελίσατο *Vulgatus* reddidit, *prænuntiavit*: ſed benè *Eſtius* obſervat, in Græco majorem eſſe emphaſin: *Prius evangelizavit*, ſc. antequam id ipſum fieret. Veriſſimum enim Evangelium eſt, quod dicitur; *In te benedicentur*, &c. IV. Locum Geneſ. XII. *Benedicentur in te*, quare Apoſtolus citare maluerit, quam alterum, *in ſemine tuo*, Gen. XXII. diſquirit D. *Hunnius* h. l & decidit tandem: utriusque loci eundem ſenſum eſſe; Paulum autem citare maluiſſe eum, qui primus eſt. Et congruum eſt; quia Paulus ad tempus reſpicit, quod DEus diu ante evangelizaverit Abrahamo: jam verò verba Gen. XII. multis annis prius dicta ſunt, quàm Gen. XXII. V. Quomodo in Abrahamo benedicantur gentes, explicaturi Judæi ineptiunt, quaſi ſcil. invicem optaturæ felicitatem Abrahami, & laudaturæ atque felices prædicaturæ ſeipſas, ſi ſint ſicut Abraham. Contra quos diſputat B. *Lutherus* h. l. *Pareus* h. l. Communiter exponunt, *in te*, h. e. *in ſemine tuo*, qui eſt Chriſtus, Sed Paulus vide-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

videtur h. l. aliter accipere; *Benedicentur in te* h. e. *tecum credente*; ſeu, ſi fuerint in te, tanquam patre omnium credentium, Rom. IV. Quomodo aliter gentes benedicuntur in Abrahamo, aliter in Chriſto, ſemine Abrahami: in Chriſto, ut capite & cauſa ſalutis; in Abrahamo, ut oleâ, cui inſertæ per communem fidem in ſemen. Ita quidem *Franciſc. Junius in Parall.* l. 2. *parall.* 53. Sed contra alibi oſtendimus, retinendam eſſe communem interpretationem, *in te*, h. e. *in ſemine tuo*, quando ex profeſſo de loco Geneſeos egimus. Nec videtur aliud velle B. *Lutherus* in h. l. cum ſcribit: *Benedicentur in te. In quo te? In te Abraham credente, vel, in fide tuâ, vel in illo Chriſto* (ſemine tuo) *futuro, in quem credis.* Nam ultimum priora exponit. VI. v. 9. & 10. planius exponit ſuum argumentum ex Gen. XII. q. d. Dixi, Scripturam per hoc dictum præevangelizaſſe Abrahamo, prævidentem, quod DEus eſſet juſtificaturus gentes ex fide: id verò veriſſimum eſt; nam ex hoc dicto infero, quod, qui ex fide ſunt, benedicantur cum fideli Abrahamo. *Probo*, quia, ſi ex operibus legis eſſent, maledicerentur. Quòd ſi, qui ex fide ſunt, non qui ex operibus, benedicuntur; ſequitur, quod etiam ex fide juſtificentur. VII. Eos, *qui ex fide ſunt*, *Pareus* dicit eſſe eos, qui per fidem juſtificari volunt; eos, qui ex operibus, qui per opera ſalvari volunt. Quod ad rem, id verum eſt. Interim Paulus ita ſe exponit, ut, qui ex fide ſunt, ſint πιςοὶ, *fideles*, ſicut Abraham: qui verò ex operibus legis, non ſint πιςοὶ, *fideles*, ſed operibus legis addicti, & in ea acquieſcentes, ut vitam per illam habeant. B. *Lutherus* noſter vertit: Die mit des Geſetzes Wercken umgehen. Nec malè *Eſtius* h. l. *Qui opera legis ſectantur, & ex iis juſtitiam expectant.* IIX. *Sub maledictione eſſe*, eſt, maledictum eſſe: ſicut mox dicitur: *Maledictus omnis*, &c. IX. In v. 10. Paulus minorem propoſitionem reticet, ita ſupplendam: *Quicunque non manet in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro Legis &c. maledictus eſt. At quicunque ex operibus legis ſunt, non manent in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis. Ergò. Minorem* apud Galatas Paulus poſuit extra controverſiam. Etſi *Eſtius* h. l. putet, eam v. 11. probari. Quod non probamus. X. Quia Deut. XXVII. non eſt nota univerſalitatis, B. *Hieron.* putavit, fontes Hebræos eſſe corruptos. Malè! Vid. *Par.* h. l. *Eſt.* h. l.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

V. 11. 12.

Quod verò in lege nemo, &c.) Argumentum in his duobus verſibus contentum in Analyſi dedimus. Quod dicitur I. ἐν νόμῳ, *in lege*, idem eſt ac, διὰ νόμου, *per legem*. Vid. *Par.* h. l. Unde B. *Luth.* vertit, durchs Geſetz. Quomodo etiam alii communiter. Eundem ſenſum eſſe, certum eſt: putarim, ἐν νόμῳ, *in lege*, immediatè notare ſubſiſtentiam in lege; q. d. *Quod verò nemo, qui & quamdiu in lege ſubſiſtit, & ad Evangelium non progreditur pædagogo lege, juſtificetur* &c. II. Notanter dicit Apoſtolus, παρὰ τῷ θεῷ, *apud* DEUM; nam coràm hominibus fortè in lege aliquis juſtificetur: quia judicium humanum tàm accuratum, exactum, & rigoroſum eſſe non poteſt, quàm divinum eſt. III. Non malè obſervant aliàs Interpretes, (repugnante licet *Eſtio* h. l.) quod juxta Hebræos accentus apud Habacucum τὸ, ἐκ πίστεως, *ex fide*, ad ſubjectum pertineat, h. m. *Juſtus ex fide, vivet.* Certè argumentatio Pauli hoc requirit: *Juſtus ex fide vivet: Juſtus ex lege non eſt juſtus ex fide: Ergo juſtus ex lege non vivet. Minor* probatur, quia, quicunque facit ea, quæ legis ſunt, is demum eſt juſtus ex lege: cùm quicunque, qui facit, quæ legis ſunt, vivat ex lege. Argumentatur autem IV. Apoſtolus optimè à vita ad juſtificationem; nam qui vivit, ille etiam juſtificatur, & *per quod quis vivit, per id etiam juſtificatur*, quia vita eſt juſtificationis conſequens. V. Quando dicitur: *Lex autem non eſt ex fide*, ſenſus eſt: Lex autem non facit juſtum ex fide, ſed ex operibus; vel, lex non docet, aliquem ex fide juſtum eſſe poſſe, ſed ex operibus: doctrina enim legis hæc eſt, quod, qui faciat opera legis, ſit juſtus, & vivat ex illis. Conf. D. *Hunn.* h. l. prolixiùs. Probè VI. notandum, dictum Habacuci eſſe virtualiter excluſivum: *Juſtus ex fide vivet*, h. e. ſolus juſtus ex fide vivet. Aliàs Paulus nihil concluderet. Videtur autem tunc eſſe contradictio: ſolus juſtus ex fide vivet: Q. facit ea, quæ legis ſunt, vivet in iis. Sed diſtinguendum eſt inter actum ſignatum & exercitum: in actu exercito ſolus juſtus ex fide vivet, quia in actu exercito non fieri poteſt, ut alius, quam juſtus ex fide, vivat, ob indabilitatem ſubjecti, ut ſic vocem, ſeu eò quod non detur alius, quàm ex fide, juſtus. Et hoc vident etiam Pontificii: Ex quibus *Eſtius* in h. l. *Ex lege*, inquit, *præcepta legis implere, & in iis*

in iis vivere, nemo poteſt. Fruſtrà autem nonnulli, quod dicitur, Eum, qui præcepta legis facit, vivere, ad vitam temporalem reſtringunt: quod meritò *Eſtius* in h. l. refutat.

V. 13. 14.

Chriſtus nos redemit, &c.) Etſi nonnulli hos verſus cum præcedd. in unum ſenſum conjungunt: tamen plerique, Noſtrates præcipuè, novum argumentum hîc haberi obſervant. Id quod eſſe exiſtimemus, in Analyſi indicavimus. Notatu autem I. dignum eſt verbum ἐξηγόρασεν, quod omninò *ſatisfactoriam redemtionem* denotat, tàm veram, quàm ſi quis parata pecunia quid emat & redimat. Valida vox eſt contra Photinianos. Quæ ſit II. legis maledictio v. 10. habuimus, nim. *Maledictus omnis, qui non manſerit in omnibus, quæ in legis libro ſcripta ſunt, ut faciat ea.* Quæ maledictio non temporalis tantùm eſt, ſed æterna quoque: nec paſſiva tantùm, h. e. pœna; ſed & activa, ira DEI, & lex maledicens: contra *Socinum*, qui iram DEI negat. Vid. *Pareus* h. l. Sed III. quod Chriſtus pro nobis factus dicitur *maledictio*, id durum videtur: cum certum ſit, Chriſtum ipſam eſſe benedictionem, juxta illud: *In ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ*, Gen. XXII. v. 18. *Eſtius* itaque in h. l. ſcribit: ex hoc non intellecto olim quosdam fideles errandi; infideles calumniandi occaſionem cepiſſe. Idem dicit, quosdam ita rem exponere, ut dicant, locum *Deuteronomii*, qui propriè de ſceleratis agit, extenſione ad Chriſtum accommodari. Ipſe hunc ſenſum facit, Chriſtum pro nobis factum maledictum, quia pro noſtra redemtione ac ſalute crucifixus ſimilitudinem geſſerit hominis à DEO maledicti, & pro tali reputatus ſit ab hominibus. Verùm iſta ſimilitudo contra Photinianos Noſtratibus non ſufficit. Itaque D. *Hunnius* in h. l. melius ſic exponit; Chriſtum in noſtrum locum ſuccedentem execrationem legis ſubiiſſe ac ſuſtinuiſſe, h. e. pœnas transgreſſoribus legis debitas perſolviſſe ſua paſſione & morte in cruce. Probè notandum, quod Chriſtus dicatur factus *maledictio pro nobis*; *non autem ipſe per ſe*: quæ duo diſtinctiſſima ſunt. Qui enim ipſe per ſe fit aut eſt maledictio, ille fit ſceleratus & impius, & propter ſcelera atque impietatem ſuam à DEO irato maledicitur, & pœnis promeritis ſubjicitur; ſed qui pro alio fit aut eſt maledictio, ille non fit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

ſceleratus & impius, ſed maledictioni DEI irati ſe objicit ad redimendum alium, & pro eo ſatisfaciendum; quod nullo modo fieri poſſet, ſi & ipſe ſceleratus fieret. Oportuit itaque Chriſtum pro nobis portare iram DEI, & pœnas peccatorum noſtrorum ſuſtinere; ſed ſine omni proprio peccato. Unde IV. verum quidem eſt, quod ad *Deuteron.* 21. *Maledictus omnis ſuſpenſus in ligno!* *Eſtius* hic annotat, eum, qui ſuſpenditur in patibulo, maledictum eſſe à Deo, i. e. execrabilem Deo, propter peccatum, quo ſupplicium tale meruit: falſum tamen eſt, quod maledictum aut maledictionem eſſe notet ſimpliciter eſſe execrabilem in ſe, h. e. habere peccatum proprium, quod execrabilem ipſum reddat etiam extrajudicialiter; ſed reverâ in dicto Moſis notat *relativè* h. e. in judicio divino execrabilem, h. e. talem, cui maledictio divina inferatur, ſive ob proprium, ſive ob alienum peccatum. Atque ſic dictum Moſis reverâ etiam Chriſtum in cruce ſuſpenſum includit; non autem qualitercunque ad illum extenditur aut accommodatur. Poteſt hoc ex textu Hebræo diſci, in quo ſuſpenſus dicitur maledictio DEI, h. e. coram DEO, in judicio divino, ut à DEO talis fiat juſtè: ubi pœna à Deo, non peccatum, quod à Deo non eſt; & cauſa juſta inferendi pœnam, quæ non tantùm proprium peccatum, ſed etjam alienum ſuſceptum, eſſe poteſt, dicuntur. Equidem V. Paulus nomen *DEI* omiſit, quod in Hebræo eſt; & contra in Hebræo non habetur nota univerſalitatis, *omnis*. Ubi B. *Hieronymus*, & alii cum illo, putant, Hebræos fontes corruptos eſſe; quod tamen ne quidem *Eſtius* Pontificius audet aſſerere, ſed arbitratur, nomen *DEI* ſtudio prætermiſſum ab Apoſtolo, ne offenderentur Galatæ, ſi Chriſtus ab ipſo DEO diceretur maledictus. Sed nec hoc quadrat: Potius dicendum, à Paulo ſæpè ſenſum Scripturæ citari, non verba; imprimis, ubi in verbis non eſt emphaſis. Ita h. l. quis non intelligat, quod, cum lex dicat, *maledictus*, veniat is, qui à DEO maledicitur: Ubi enim lex maledicit, ibi DEus, autor legis, maledicit. Imò Paulus omiſiſſe potuit ſtudio nomen *DEI*, ut commodè vox legis repeteretur, cùm de maledictione legis ſermo: q. d. *Chriſtus redemit nos à maledictione legis, factus pro nobis maledictio ſc. legis: maledictio namque legis eſt, quod ſcribitur: Maledictus omnis, qui pendet in ligno!* Cæterum VI. non ſolus ſuſpenſus in ligno maledictus erat, ut diſputat

Pareus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

Pareus h. l. ſed &, ſicut alii ſupplicium paſſi malefici, maledictus erat; q. d. Non pernoctabit ſuſpenſus in ligno; non minus enim, quàm alii malefici ſunt, maledictus eſt, ut non minus, quàm alii, ante noctem ſepeliendus ſit. Niſi velis dicere, quod non ſecus quidem, inſigniter tamen, & magis, quàm alii, maledictus ſit, ratione gradus peccatorum, quæ ſuſpendio punienda erant. Loquitur autem lex de ſuſpenſis jure, coràm judicio divino, etiamſi coràm judicio humano ſint innocentiſſimi: quomodo Christus coràm humano judicio innocentiſſimus erat; in divino tamen maledictio factus pro nobis, quia noſtra peccata ſuſcepit, ut injuſtè etiam ab hominibus ſuſpenderetur. *Beza* inter duo ἵνα v. 15. interpoſuit καὶ; ſed non eſt opus. Conf. *Par.* h. l.

V. 15. 16. 17. 18.

Fratres, juxta hominem loquor, &c.) Hi verſus non ſunt obſcuri, modò obſervetur argumentatio, non à ſimili, (quod illuſtrat potiùs) ſed à *minori ad majus*, efficaciſſima: ſi enim homines in fide conſtantes ſunt, multò magis hoc DEUM decet. Conf. D. *Hunn.* Confutare hîc Apoſtolum alios, quidam ap *Par.* h. l. obſervarunt. Et I. τὸ, ὅμως, *attamen*, vel, *licet*, emphaticum eſt, & denotat id quod minus, licet alii apud *Eſtium* h. l. aliter: q. d. *ſi teſtamentum confirmatum fuerit, licet hominis meri fuerit, nemo rejicit, aut ſuperaddit; nedum DEI.* Nam hoc poſterius ſubintelligendum eſt; poſt quod II. Paulus ſubſumit: DEI teſtamentum non rejiciendum, nec ei ſuperaddendum eſt. *Atqui teſtamentum DEI factum eſt ſuper promiſſionibus fidei. E. à nemine, & ne quidem ab ipſo DEO per legem vel rejiciendum, vel ei aliquid ſuperaddendum eſt.* Subſumtio eſt v. 16 Concluſio v. 17. Nam III. phraſis, τȣ̃το δὲ λέγω, *hoc verò dico*, eſt illativa; q. d. *Hoc autem concludere volo ex iſtis; teſtamentum* &c. Quærunt autem IV. quodnam ſit *teſtamentum confirmatum?* Et ſunt, qui intelligunt confirmationem per mortem teſtatoris: ſed hoc non quadrat, ſi ſolũ intelligatur, quia ad DEUM non poteſt applicari, qui nunquam moritur; cum tamen v. 17. dicatur teſtamentum ab ipſo DEO confirmatum. (De κυρώσει teſtamenti DEI multa hîc habet *Pareus*, ut & de Chronologia annorum 430. Conf *Eſtius* h. l. qui annos, nobiſcum ſuprà, bonis rationibus incipit à prima promiſſione.)

ſione.) *Eſtius* itaque interpretatur, *comprobatum*, *autorizatum*, *jure factum.* D. *Hunnius* utrumque conjungit : *Legitime factum, & morte teſtatoris roboratum.* Nobis eſt teſtamentum plenè & cum omnibus requiſitis erectum: huic nemo, ne ipſe quidem autor, jure aliquid demere aut addere poteſt, niſi nova cauſa superveniat. Etſi enim, ſi illi, in quorum gratiam teſtamentum factum, gratia ſe indignos faciant, mutari illud poſſit: tamen, ſi hoc non fiat, hominis nimis inconſtantis foret, ſine cauſa teſtamentum mutare. Jam verò ſemen Abrahæ, Chriſtus, ita ſe geſturus erat, ut DEUS immutandi nullam haberet cauſam; ideoque inconſtantiſſimus futurus, ſi in ſuo teſtamento per legem aliquid mutaret, nedum prorſus abrogaret. Teſtamentum autem *Pareus* h. l. mavult eſſe fœdus, quàm teſtamentum morientium. Atqui eſt teſtamentū unius hominis; fœdera autem ſunt plurium. Hæc mens ſolius DEI unitrini. Obſerva V. omnes promiſſiones Abrahæ factas factas in ſemine ejus, h.e. Chriſto. E. etiam Gen. XII. v. 3. & aliæ, etiamſi ſeminis nomen non ſit expreſſum. Obſ. VI. regula bonæ interpretationis: *Manendum in literâ.* Non dicit pluraliter, *ſeminibus*, ſed ſingulariter, *ſemini.* Qui hoc non obſervant, intricantur. Vid. *Eſt.* h. l.

V. 19. 20.

Quid igitur Lex? &c.) Hinc *Pareus* incipit confutationem, tanquam quartam Epiſtolæ partem. Sed rectè D. *Hunnius*, *Balduinus*, & alii, obſervant, quod Paulus inſtantiis pſeudoapoſtolorum reſpondeat. Noſtra itaque Analyſis hinc incipit alteram Capitis partem, in quâ *objectiones* occupentur & refutentur. Eſt I. oratio elliptica: *Quid igitur lex*? h. e. ſi verum eſt, quod Paulus dicit, per opera legis neminem juſtificari, quid ergò lex ſibi vult, aut prodeſt? Et II. interrogatio eſt pro negatione; q. d. Ergò lex nihil ſibi vult, nihilque prodeſt. Atqui hoc eſt abſurdum: E. & Pauli doctrina illa. Conf. D. *Hunn.* h. l. III. In reſponſione Pauli notatu dignum eſt verbum προσετέθη, *addita eſt*, ſc. teſtamento cum Abrahamo facto. Itaque non eſt finis legis à Deo intentus opponendus teſtamento promiſſionum, ſed addendus; ut promiſſiones juſtificent, non lex: lex autem nihilominus ſub alio fine cum juſtificatione promiſſionum ſtare poſſit. Conf. *Eſt.* h. l. Is finis IV. eſt indicatus verbis, τῶν παραβάσεων

βάσεων χάριν, tranſgreſſionum gratia: quæ variè exponuntur. *Hieronymus*: ut nos non transgredi vel cogeret, vel doceret. *Chryſoſtomus*: ne Judæis liceret ſecurè vivere, atque in extremam labi malitiam, lex illis freni vice impoſita. B. *Auguſtinus* contra; transgreſſionum non coërcendarum, ſed augendarum gratia: quam expoſitionem præferre videtur *Eſtius* h. l. ſicut præferre etiam videtur B. *Lutherus*. Nam B. *Lutherus* h. l. diſtinguit duplicem legis uſum: Civilem, qui eſt coërcitio transgreſſionum; & Theologicum ſeu ſpiritualem, qui eſt, augere transgreſſiones, h. e. revelare peccatum, cæcitatem, judicium, & iram DEI, atque adeò eximere opinionem juſtificationis per opera; qui ſit proprius & præcipuus legis uſus. Sequitur D. *Hunnius*, & *Balduinus* h. l. *Pareus* quatuor dicit: 1. manifeſtare legem transgreſſiones, 2. coërcere, 3. punire per comminationes, 4. urgere ad eas irritando ex accidenti: atque ſic conjungit *Hieronymi* & *Auguſtini* ſententiam. Ut mentem Apoſtoli aſſequamur, notandum eſt 1. quod Paulus loquatur de univerſa lege Moſaica, non tantùm morali, ſed etiam ceremoniali & forenſi. Atqui forenſis legis uſus erat civilis, ut transgreſſiones coërceret; 2. quod Paulus dicat, legem additam, usque dum veniret ſemen, h. e. Chriſtus. Jam verò ante Chriſti adventum ſine dubio non unus legis uſus erat. Certè non tantùm coërcebat peccata, arguebat & augebat, ſed bonorum operum etiam & novæ obedientiæ norma erat, devitandarumque transgreſſionum. Sed & Apoſtolus ipſe v. 23. expreſsè addit cuſtodiam legis, & v. 24. pædagogiam, quæ, poſtquam Chriſtus venit, deſierit; Cap. IV. v. 1. ſeqq. ſervitutem hæredum infantium. Iſtorum nihil videtur excludendum eſſe; ſed tantùm juſtificatio & vivificatio, quas legi non competere Paulus ex inſtituto docet. Itaque *παραβάσεις, transgreſſiones*, h. l. juſtificationi & vivificationi opponuntur: & lex transgreſſionum gratia promisſionibus addita dicitur, quia nec juſtificat, nec vivificat, atque adeò opera bona docet & jubet facere, ut tamen per illa juſtitiam & vitam non det, ſed caveat, ne juſtitiam & vitam per transgreſſiones amittamus. Quare uno verbo dicere poſſumus: *transgreſſionum gratia addita eſt lex*, ut illis manifeſtatis urgeat Chriſtum quærere & retinere ab illis unicè liberantem. V. Quod dicitur: *ἄχρις οὗ ἔλθῃ τὸ σπέρμα, donec veniret ſemen*, idem eſt ac ſi diceret, donec veniret Chriſtus. Nam ſemen

Chriſtus eſt, juxta v. 16. Aliud namque ſemen intelligere cohærentia textus non permittit. Inſuper v. 23. 25. adventus ſeminis exponitur per adventum fidei, h. e. Chriſti, qui fidei objectum eſt. Ergone poſt Chriſtum omnis legis uſus abrogatus eſt? Video, quid hic reſpondeant Theologi. Vid. D. *Hunnius*, *Balduinus*, & imprimis B. *Lutherus* h. l. Et rem quidem non rejicimus. Interim hoc obſervandum putamus, quod *adventus ſeminis Chriſti ad nos* non ſit præcisè adventus in carnem, ſed *ſucceſſivus & gradualis* in nobis, donec ad plenam ætatem perveniamus in altera vita. Quo propius verò Chriſtus ad nos venit, eò magis officium legis ceſſat, donec in altera vita planè ceſſet. Unde latius & generalius verba accipimus, *transgreſſionum gratia*; ut ab iis per Chriſtum liberari cupiamus magis magisque, lex addita eſt, eo usque, donec tandem in ultimo adventus ad nos complemento plenè advenerit ſemen, Chriſtus. Unde deinceps nihilominus ſequetur, quod in adventu Chriſti in carnem pædagogia legis abrogata ſit in certo gradu, in quo prius non erat abrogata, nimirum quod ad umbras ceremoniarum. Et ſi *gradus* cognoſcere lubet, 1. maledicit lex urgens bona opera omnibus non facientibus, antequã in ſemen credant: at poſtquam in ſemen crediderunt, lex quoad maledictionem ceſſat, quia Chriſtus jam venit ad homines in verbo & promiſſionibus, licet nondum in carne. Et hâc ratione abrogata eſt maledictio legis etiam ante Chriſti incarnationem. 2. Lex adumbrat in ceremoniis Chriſtum futurum jam credentibus & à maledictione liberis: quæ adumbratio ceſſat Chriſto in carnem veniente. 3. Ubi & iſtud officium ceſſavit, lex adhuc oſtendit, quomodo fideles in bonis operibus ambulare, nec malis operibus Chriſtum amittere debeant: quod officium ceſſabit in ultimo Chriſti adventu, ubi fideles glorificati nec peccatum committere amplius, nec Chriſtum amittere poterunt. Sequitur VI. ᾧ ἐπήγγελται; ubi ἐπήγγελται accipiunt impersonaliter; vid. *Eraſm. Schmid.* h. l. Malo perſonale facere, & ſubaudire vocem ἐπαγγελίας ex v. 20. h. m. *Cui promiſſa eſt ſcil. promiſſio.* Quomodo autem Chriſto promiſſa ſit promiſſio, ex antecedentibus conſtare poteſt: nimirum ut redemtori, quod per illum benedictio in omnes gentes ventura ſit. Sed jam VII. reliqua verba *de diſpoſitione legis per angelos in manu mediatoris*, magnam habent

diffi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

difficultatem. D. *Hunnius* dicit 1. legem fuiſſe ordinatam per angelos h. e. promulgatam inter ſonum tubæ per angelos inflatæ; 2. partes mediatoris ſuſtinente Moſe: 3. Eundem verò fuiſſe mediatorem non unius partis, DEI, qui unus; ſed duarum, DEI & hominum. Conſentit prorſus *Balduinus*. *Theophylactus* cum ſuo *Chryſoſtomo* admittit diſpoſitionem angelicam per tubarum ſonum: ſed per mediatorem intelligit Chriſtum. *Pareus* ſequitur, quoad mediatorem Chriſtum: ſed angelicam ordinationem ſic exponit, quod DEus per angelos legem elocutus ſit, & cum Moſe egerit; quæ etiam Pontificiorum communis eſt ſententia, eamque hodiè multi alii ſequuntur. Veteres multi *per angelos* intelligunt homines ſanctos, *Moſen*, *Aaronem*, &c. Ut noſtram exponamus ſententiam, 1. per *angelos* intelligimus ſpiritus cœleſtes creatos, DEI miniſtros, cum Noſtratibus. 2. Cum iisdem exiſtimamus, *legem per angelos diſpoſitam*, non ratione promulgationis & elocutionis de monte Sinai, quæ Exod. XX. expreſsè DEO adſcribitur; non tamen etiam ratione ſolius ſoni tubarum; ſed *ratione approbationis*, quam quidem ſono tubarum teſtatam fecerunt: Sicut in extremo judicio ſancti judicabunt angelos & homines judicio approbativo. Meminiſſe autem Apoſtolum hujus circumſtantiæ, ut amplius indicet, teſtamentum Abrahamicum non eſſe per legem abrogatum, cum per angelos abrogari nec debuerit, nec potuerit, atque adeò legem alium in finem, nimirum transgreſſionum gratia, datam eſſe, ubi angeli, ex ſuâ ſanctitate à transgreſſionibus abhorrentes; ſuas habeant partes. 3. Mediatorem itidem, cum Noſtratibus plerisque, agnoſcimus *Moſen*: neque enim in legislatione alius mediatoris fit mentio. 4. Hunc verò Apoſtolus facit mediatorem, non DEI, ſed hominum, probans ex officio mediatoris, qui non unius & immutabilis & ſummi, ſed plurium & mutabilium & inferiorum eſſe debeat; jam verò DEum unum & immutabilem eſſe. Quod iterum Apoſtolus facit, ut doceat, non diſcrimen Legis & Evangelii, ut *Eſtius*, *Hunnius*, *alii*; ſed teſtamentum Abrahamicum non eſſe per legem abrogatum, ſed legem tantùm transgreſſionum gratia ſuperadditam; quas ita ſtatim redarguerit, ut populus Iſraëliticus mediatorem petierit. Conſentiunt ſanè loca Scripturæ, in quibus circa legislationem fit mentio angelorum. Hebr. II. v. 2. dicitur, quod *ſermo per angelos dictus fue-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

rit firmus, ut omnis transgreſſio ſuam pœnam habuerit. En transgreſſiones! Stephanus Act. VII. exprobrat Judæis, quod legem acceperint in diſpoſitiones angelorum, & non ſervaverint. En transgreſſiones!

V. 21. -- fin.

Ergone Lex contra promiſſiones DEI ? &c.) Objectionem hic haberi alteram, ex priori oriundam, obſervarunt pridem etiam Interpretes, adeoque nihil hîc novi eſt: quod idem ſenſimus in Reſolutione, etſi in quibusdam circumſtantiis non per omnia conveniamus. Conf. D. *Hunn. Balduin.* & alios h. l. Nec opus eſt, ut Reſolutionem repetamus. Lex I. eadem eſt, quæ hactenus; tota ſc. lex Moſaica, *moralis*, *ceremonialis*, & *forenſis*, eo maximè ſenſu, quo pſeudoapoſtoli ſumebant, quatenus ut lex, præceptis conſtans, conſideratur, & fidei opponitur. II. *Promiſſiones DEI* ſunt promiſſiones Abrahamo factæ; de quibus etiam hactenus. Neque enim æquum eſt, terminos in hâc diſputatione diverſimodè accipi. III. Quando dicitur: *ſi enim data eſſet lex, quæ poſſet vivificare, reverâ ex lege eſſet juſtitia*; à D. *Hunnio* accipitur ita, quaſi Paulus argumentari velit, legem per ſe non damnare, ſed juſtificare; damnare autem per accidens. Quomodo erit conſequentia à vivificatione ad juſtificationem. Sed D. *Balduinus* putat, Paulum argumentari à negatione effectus, vivificationis, quæ eadem ſit cum juſtificatione. Quomodo reverâ erit retorſio objectionis in pſeudoapoſtolos, ſicut in Reſolutione diximus: nam hi erant, qui effectum iſtum de lege affirmabant. Volet itaque Apoſtolus dicere: *Non is, qui negat legi effectum juſtificationis, facit legem promiſſionibus contrariam: ſed qui affirmat.* Jam ego nego: ſed pſeudoapoſtoli affirmant: E. hi in culpa ſunt, cujus me accuſant. Conf. *Eſt.* h. l. Ab his non abimus, niſi quod objectionem aliter formavimus, atque adeò retorſionem aliter explicavimus, ut ex Analyſi apparere poteſt; hoc nim. modo: Nullo modo ego, qui dico, legem durare debuiſſe, uſque dum veniret ſemen, & deinde ceſſare, facio eam contrariari promiſſionibus: ſed is, qui dicit, legem vivificare unà cum promiſſionibus, cum quibus propterea adhuc duret, poſtquam ſemen venit: quod verò ego non dico, ſed repudio; pſeudoapoſtoli autem affirmant, qui feriuntur. Me verò quod attinet,

res

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

res quoad ceſſationem legis ita habet: Lex non propterea à me dicitur ceſſare, quaſi ſit contraria promiſſionibus; ſed quia, antequam fides venit, lex ſuum habere poteſt officium cuſtodiendi nos, & pædagogia ſua ad Chriſtum deducendi, quod officium non amplius habere poteſt, quando fides venit. Hæc brevis totius reſponſionis prolixæ ſumma eſt. IV. *Lex, quæ poſſit vivificare* ſeu juſtificare, non dicitur abſolutè, ſed *relativè* ad noſtram conditionem & ſtatum poſt lapſum; q. d. Si data eſſet lex, quæ nos in noſtro ſtatu peccati poſſet vivificare. Nam abſolutè loquendo lex Moſis poteſt vivificare; ſi ſc. quis illam faciat: & jam olim vivificavit angelos confirmatos in bono per conſtantem obedientiam illorum, & potuiſſet etiam vivificare Adamum & Evam in ſtatu innocentiæ. V. Verba, *reverâ ex lege eſſet juſtitia*, accipienda ſunt de eo, quod neceſſariò eſſe deberet, ut ὄντως, *reverâ*, idem ſit ac, *neceſſariò*. Nim. ſi nos poſſemus legem implere, reverâ illa nobis implenda foret, & neceſſariò, nec ſubvenire nobis deberent promiſſiones gratuitæ, ſed promiſſiones gratuitæ tollerentur. VI. In verbis, *atqui concluſit Scriptura*, vocem *Scripturæ* accipiunt συνεκδοχικῶς, pro lege. Vid. D. *Hunnius* h. l. Adde alios ap. *Eſt*. h. l. Non malè. Videtur tamen ſimplicius accipi pro Scripturâ abſolutè & in genere; q. d. Atqui Scriptura variis rationibus & documentis partim ex ipsâ lege, partim aliundè, ſumtis, exponit, & probat, quod omnia ſub peccatum concluſa ſint. Conf. *Eſt*. h. l. Dicitur VII. *Scriptura concluſiſſe ſub peccatum* πάντα, *omnia*; quod ferè pro maſculino ſumunt. Putarim, ſub neutro includi perſonas & res; q. d. Concluſit nos & omnia opera noſtra ſub peccatum. VIII. Phraſin, *concluſit ſub peccatum*, de carcere ſumtam putant. Malim ex Hebraiſmo ſumtam; in quo concludere in manum alicujus eſt, poteſtati ejus tradere; quomodo concluſus eſt ſub peccatum, qui in poteſtate peccati eſt, ut illi dominetur. Et ſic reverâ in articulo juſtificationis omnes homines cum omnibus operibus ſuis ſub poteſtate peccati ſunt, ut eos reos faciat, & damnet in judicio DEI: cum nullius hominis opera perfecta ſint, ſola autem fides peccato dominetur. Finis IX. hujus concluſionis eſt, ut diſcant omnes homines, promiſſionem, h. e. rem promiſſam, juſtificationem, vitam, & ſalutem, ex ſolâ fide dari.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

X. Notatu dignum eſt, quod dicitur; *Ut promiſſio ex fide daretur credentibus:* nimirum credentes habent quidem etiam opera; non tamen ex operibus, ſed ex fide datur promiſſio. XI. *Antequam autem veniret fides*, h. e. Chriſtus, vel doctrina Evangelii. Vid. *Hunn. Bald.* h. l. Putarim, Paulum ſtudio voce *fidei* uſum, in quâ cõprehenderet Chriſtum, Evangelium, & ipſum fidei actum; ut doceret, quod etiam fides nobis aliunde, h. e. à DEO, veniat, non ex nobis naſcatur. Sic v. 25. XII. Verborũ, *ſub lege cuſtodiebamur, concluſi*, &c. ſenſum hunc facimꝰ: Scriptura, ut modò dictum, concluſit omnia ſub peccatũ (licet *Eſtius* h. l. concluſionem intelligat ſub lege,) in fidem revelandã ſuo tempore, h. e. ut præmiſi, ut ex fide JEſu Chriſti daretur promiſſio credentibus: Jam, ut tales maneremus, & deſideraremus atque expectaremus adventum fidei, DEus nobis legem addidit, quæ cuſtos noſter eſſet; quippe huic in cuſtodiam dati ſumus, ut oſtendendo transgreſſiones nos ad Chriſtum faceret confugere, & in obedientia fidei manere. Accipiunt hæc de Judæis, quibus Apoſtolus ſe per κοινοποίησιν includat. Vid. *Hunn. Eſt.* h. l. Sed longè latius accipiendum de omnibus, ad quos ſaltem lex moralis pertinuit, qui erant omnes homines. XIII. Appellatio *pædagogi* elegantiſſima eſt: docet namque ſubjectum, quod eſt puer minorennis; finem, ad quem quis ducitur; & ducentis officium. Nimirum ſicut pueri à pædagogis reprehendendo, caſtigando, præſcribendo, ad bonum deducuntur: ſic lex pueros in notitiâ Chriſti ad Chriſtum compellit. Diximus autem XIV. quod Apoſtolus *gradus* adventus Chriſti & fidei agnoſcat. Hic verò de notabili, qui eſt adventus Chriſti in carnem, & fidei in omnes gentes, loquitur: ut per hunc de reliquis gradibus judicemus. Sic itaque XV. ſequentia de eodem gradu accipienda ſunt: *Ubi venit fides* in pleniori iſto revelationis gradu ſub adventum Chriſti, pædagogia legis deducens ad iſtum gradum ceſſavit. Neque enim ducere poterat ad iſtum gradum, tanquam futurum, quum jam eſſet præſens. Sic, *omnes filii DEI eſtis*, ſc. in pleniori & pædagogiam ſupergreſſa ætate. Nam in alio gradu etiam infans eſt filius, Cap. IV. v. 1. imò dominus omnium bonorum, ibid. Indicat etiam hoc Apoſtolus, cum dicit XVI. *Quicunque enim in Chriſtum baptizati ſunt*, &c. q. d. Quicunque enim ita baptizati ſunt, ut Chriſtum jam præſentem induerint, omnesque

unus,

unus, ſine diſcrimine, ſint, illi ſanè ſunt filii majorennes, in quibus pædagogia, diſcrimina faciens hominum, juxta legem imprimis ceremonialem & forenſem, non habet amplius locum. Elumbe nimis eſt, quod *Eſtius* *τὸ* *induere Chriſtum* tantùm exponit de conformitate imitationis virtutum & bonorum operum Chriſti capitis.

CAPUT IV.

Analyſis.

IN Reſolutione hujus Capitis video variare Interpretes, aliis tres, aliis quatuor Capitis partes conſtituentibus, ſub diverſis quoque partium nominibus & titulis. Sed nobis Reſolutionis novæ occaſionem oſtendit D. *Balduinus*, quando ab initio Capitis agnoſcit Demonſtrationem ejus, quod Lex in N. Teſt. abrogata ſit. Agnovit itaque, Apoſtolum hîc aliquid demonſtrare: quod nos dicimus eſſe Confutationis cœptæ continuationem. Itaque dicimus, poſt interpoſitam duplicis objectionis ſolutionem, Apoſtolum pergere in *Confutatione doctrinæ* ſeu theſeos pſeudoapoſtolorum, quaſi lex & opera legis juſtificarent & vivificarent. Habuimus præcedenti Capite hujus Confutationis argumenta ſpecialia ſex: nunc ergò in hoc Capite ſequuntur reliqua; ut ſingula ſingulas Capitis partes expleant; neque enim opus eſt aliter partiri. Et quidem

VII. Speciale Confutationis *argumentum* ſumitur *à finita ſervitute legali, pædagogicâ licet tantùm*, h. m. *Q. doctrina ſervitutem legalem ultra terminum & ita prorogat, ut ex filiis & hæredibus majorennibus faciat etiam meros ſervos, illa falſa eſt & erronea. Atqui doctrina pſeudoapoſtolorum, quâ docetur, etiam in N. T. legem & legis opera juſtificare, iſtud facit. Ergò. Minor* probatur, quia ſervitus legalis uſq; ad Chriſtum tantùm durare debuit, etiam pædagogica; nedum *major* pſeudoapoſtolorum, quâ iſti ex filiis majorennibus etiam faciunt meros ſervos, tolerabilis ſit. v. 7. *Quare non amplius eſt ſervus ſub pædagogia, ſed filius majorennis; quod ſi filius majorennis, etiam hæres*, & non merus ſervus, quia filius legis mercedem non ſectans. Quod verò ſervitus etiam pædagogica tantùm uſq; ad Chriſtum durare debuerit,

pro-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,292 4° 1516

probatur I. à ſtatu credentium; quippe qui ſub V. T. erant fideles & in Chriſtum credentes, & filii DEI per fidem; ſed inſtar ſimul infantium, quum objectum fidei, Chriſtum, non in carne haberent. Jam argumentum: *Quouſque ſe infantia fidelium extendit tantùm, eò uſque tantùm durare debuit ſervitus legalis etiam pædagogica tantùm. Atqui infantia fidelium extendit ſe tantùm uſque ad adventum Chriſti. Ergò. Minor* habetur & declaratur *etiam ſimili*, v. 1. 2. 3. Probatur 2. *à fine adventus Chriſti*, qui erat, nos redimere à ſervitute legis, ut filiorum adoptionem conſequeremur. Argumentum: *Si Deus propterea emiſit filium ſuum*, &c. *ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, & nos adoptionem filiorum conſequeremur majorennium: ſequitur, quod etiam pædagogica ſervitus legalis minorennium in adventu Chriſti ceſſare debuerit. Atqui prius eſt. Ergò.* Subſumtio habetur v. 4. 5. & confirmatur ex eo, quod Spiritus S. à DEO Patre miſſus ſit in corda credentium, clamans, *Abba, Pater!* v. 6. Nam ſi *per Chriſtum datur Spiritus clamans, Abba, Pater, oportet fideles eſſe filios DEI majorennes, qui confidenter DEum audeant vocare patrem. Atqui prius eſt. Ergò.* Ad hoc argumentum VI. Paulus ſibi viam ſtruxerat per reſponſ. ad obj. 2dam.

IIX. Confutationis argumentum ſpeciale depromitur *à turpi rerum inverſione*, quâ pſeudoapoſtoli coëgerunt eos, qui, quo tempore debuiſſent, non ſervierunt pædagogiæ legis, non tantùm ſervire legi ſervitute pædagogica, ſed etiam plena, eo tempore, quo ne quidem ſervitus pædagogica, nedum plena, legis locum habet. v. 8. 9. 10. Argumentum hoc eſt: *Q. doctrina turpiter invertit rerum ordinem, ita ut eos, qui eo tempore, quo DEO vero ſub pædagogia legis ſervire debuiſſent aut potuiſſent, DEum ignorantes ſervierunt iis, qui natura dii non ſunt, neglecta ſervitute ſub pædagogia legis DEO vero præſtanda, eo tempore, quo pædagogia legis etiam ceſſavit, cogat ſub legis ſervitutem plus quam pædagogicam: illa doctrina eſt falſa & erronea. Atqui doctrina pſeudoapoſtolorum, quâ docetur, fideles gentiles ſub N. T. cujusmodi Galatæ, per opera legis debere juſtificari, eſt talis. Ergò. Major* eſt certa. *Minor* probatur aperto exemplo Galatarum, v. 8. 9. 10. qui adeò ſeducti, ut timendum, ne omnis labor informationis verè evangelicæ fruſtra eſſet. v. 11.

IX. Con-

IX. Confutationis *argumentum* ſpeciale *ſumtum eſt à κακοζηλίᾳ pſeudoapoſtolorum*, & hoc eſt: *Cujuscunque doctrinæ autores hoc faciunt, ut ad confirmandum ſuam gloriam propriam homines ad æmulandum ipſos ſeducant, & à ſancta æmulatione in bono, qua prius doctorem ſuum fidelem, veritatem cum infirmitate carnis, atq; adeò ſine aucupio propriæ gloriæ, prædicantem, magna cum pietatis laude æmulati ſunt, tanquam angelum, imò ipſum Jeſum Chriſtum, excludant fraudulenter captatâ ejus abſentiâ: illa doctrina falſa eſt, & erronea. Atqui doctrina pſeudoapoſtolorum de juſtificatione per opera legis talis eſt. Ergò. Major* clara eſt. *Minor* probatur exemplo Galatarum, qui 1. *habuerunt fideliſſimum* doctorem Paulum, qui olim ipſis evangelizavit Chriſtum, v. 13. & quidem 2. *verè, candidè, purè*, ἀληθεύων, v. 17. *ſine* 3. *propriæ gloriæ & commodi aucupio*, cum infirmitate & tentatione ſeu perſecutione, v. 13. 14. præſens 4. ipſis *in humilitate*, quâ erat ut ipſi, v. 12. & in bono exemplo ad æmulandum ipſos provocante, v. 18. & 5. *ita ſe gerens, ut non ſpreverint eum*, ſed ut angelum DEI, imò ipſum JEſum Chriſtum, ſuſceperint, &, ſi potuiſſent, oculos ſuos ereptos ipſi dediſſent, v. 14. 15. magna 6 *cum beatitudinis laude*, v. 15. quos verò 7. pſeudoapoſtoli à priori laudabili æmulatione excluſerunt, v. 17. & 8. ad æmulandum ipſos non benè provocarunt, ibid. & quidem 9. fraudulenter in abſentia Pauli, v. 18. adeò, ut 10. denuò à Paulo parturiendi fuerint, v 19. 20.

X. Et ultimum Confutationis argumentum ſpeciale ſumitur *à typo filiorum Abrahami, Iſaaci ſc. & Iſmaëlis*, in quibus diſtincta teſtamenta DEI ſignificata ſunt. Argumentum hoc eſt: *Q. doctrina confundit & permutat duo DEI teſtamenta diſtinctiſſima, ita ut teſtamentum libertatis, filiationis, & hereditatis immutet in teſtamentum ſervitutis & excluſionis ab hereditate: illa eſt falſa & erronea. Atqui doctrina pſeudoapoſtolorum de juſtificatione per opera legis eſt talis. Ergò. Major* probatione non indiget. *Minor* probatur *expoſitione typi* filiorum Abrahami, unius ex Hagare ſerva, alterius ex Sara libera, v. 22. unius juxta carnem, alterius ex promiſſione nati, v. 23. qui ſint duo teſtamenta typicè; unum de monte Sinai, h. e. legale; alterum cœleſtis Hieroſolymæ, h. e. evangelicum, v. 24. 25. 26. & doceant, ille, h. e. qui ex ſerva, quod lex ſervituti tantùm ſubjiciat, &

ſervos generet, v. 25. 26. & domo Eccleſiæ Chriſti excludat, v. 30. & ab ipſa hereditate, v. eod. hic autem, ex libera natus, quod Evangelium generet filios liberos, filios promiſſionis, v. 28. ſecundum ſpiritum, v. 29. recipiendos in domum & hereditatem, v. 30. Jam verò pſeudoapoſtoli rem prorſus inverterunt, & ex teſtamento evangelico fecerunt legale, & filios liberæ mutarunt in filios ſervæ. Hæc Analyſis.

Exegeſis.

V. 1. 2. 3.

Dico autem, &c.) De phraſi, *dico verò*, *Pareus* I. annotat, eſſe formulam Apoſtolo conſuetam, quoties, quod dixerat, uberius declaret, inculcetque. Verumenimverò licet hoc verum ſit, quod phraſis ſit Apoſtolo conſueta, tamen non ſemper eodem modo aut caſu uſurpari, apparebit loca conſideranti. Putant etiam, idem eſſe, *hoc autem dico*, &, *dico verò*: quod non probandum videtur, ſaltem per omnia; nam particula τῦτο, *hoc*, videtur arctiorem nexum facere cum antecedd. quàm ubi omiſſa eſt. Nobis ſanè h. v. *phraſis continuativa* videtur, ita ut continuet confutationem ſuperiori cap. cœptam; q.d. *Sed ut pergam in Confutatione cœpta, dico porrò: quousq; heres eſt infans*, &c. Quod argumentum mihi ſubminiſtrant ea, quæ in ſolutione poſterioris objectionis modò præmiſi. Quomodo ſimul apparet cohærentia cum immediatè antecedd. II. Νήπι@-, *infans*, h. l. non eſt ſumendus phyſicè, pro filio, qui nondum fari poteſt; ſed legitimè ſeu juridicè, pro filio minorenni, qui Juriſconſultis idem cum infante nondum loquente eſt. Conf. *Par.* h. l. Cum hoc comparantur *fideles Eccleſiæ* DEI, ut & hi dicantur fuiſſe minorennes filii *ſub V. Teſt.* ut bona N. T. non haberent præſentia, & imprimis cognitionem Meſſiæ & regni ejus pleniorem: umbram enim habebant, non corpus. III. Quod dicitur *heres nihil differre à ſervo*, non abſolutè accipiendum, ſed ſecundum quid, ſc. quoad adminiſtrationem bonorum & ſubjectionem. Ita ſe Apoſtolus ipſe exponit, cum addit: *ſed ſub tutoribus* (quibus ſubjicitur,) *& diſpenſatoribus* (qui familiam & bona adminiſtrant) *eſt*. Interim in hoc ingens eſt diſcrimen, quod heres ſit dominus omnium bonorum, cùm ſervus nullum habeat dominium. IV. De *Tutoribus* res ex jure plana eſt: ſed οἰκονόμυς quidam exponunt *curatores*, alii

diſpen-

diſpenſatores. Quod poſterius videtur commodius, & ità res habere, ut tutores diſpenſatoribus ſuperiores eſſent, & heres minorennis eodem tempore ſub utrisque conſtitutus. V. Στοιχεῖα τȣ̃ κόσμȣ, *elementa mundi*, communiter de lege Moſaica interpretantur recentiores; ſed non eodem modo: Patres verò variè expoſuerunt, ut *Pareus* in h. l. annotat. Qui idem *Pareus* intelligit non ſolas ceremonias, ſed univerſam politiam Moſaicam, ſacerdotium Leviticum, ipſamque legem moralem eos terrentem, & obedire quaſi cogentem pœnarum minis, maledictionisque metu. Quæ omnia vocentur *elementa*, h. e. rudimenta, quibus pueri imbui in ſcholis ſolent; & *Mundi*, quia terrenæ erant figuræ, vel quia DEus per ea mundum ad pleniorem Chriſti cognitionem præparare voluit. D. *Hunnius* noſter accipit de lege, multiplicibus conſtitutionibus Moſaicis, obſervatione feſtorum, cibis, ablutionibus, & id genus aliis ritibus, quos Paulus elementa vocet, quia ſint ceu prima rudimenta inſtitutionis in fide; mundi autem, quod ferè tantum in externis & in oculos incurrentibus rebus fuerint poſitæ. Quæ ſententia ut Noſtratium communis eſt, ita inſigniter à Pareana non diſſentit. *Eſtius* Pontificius ſigna corporalia & carnales ceremonias interpretatur. Certum autem eſt 1. quod *lex ceremonialis* hîc includatur, ex v. 10. quod libenter concedimus *Eſtio*. Sed 2. non ſolas ceremonias legales intelligi poſſe, vel ex v. 5. diſcitur, ubi lex intelligitur, à quâ liberandi fuerunt per redemtionem pretioſam filii DEI, quotquot ſub eâ erant. Atqui à lege morali ejusque maledictione liberandi erant etiam. Conf. Cap. III. v. 13. coll. v. 10. Rectè itaque 3. à Noſtratibus *univerſa lex Moſaica* intelligitur. Sed 4. quare illa dicatur *elementa mundi*, quæſtio erit de nomine, quæ diverſimodè ſolvi poteſt; ſed videndum, ne analogia fidei lædatur. Et licet 5. elementa diſcamus eſſe rudimenta doctrinæ prima, ex Hebr. V. v. 12. attamen 6. mundum hîc opponi Chriſto, patet etiam ex Coloſſ. II. v. 8. ubi Paulus dicit: *Videte, ne quis vos expoliet per Philoſophiam, & vanam deceptionem, juxta traditionem hominum, juxta elementa mundi, & non juxta Chriſtum.* Unde 7. nobis optimum videtur, *elementa mundi* vocari legem, quia partim mundus, & quatenus mundus ſeu homo animalis, aliquid de illa ſcit, & præcipuè hoc novit, quod, qui contra legem, quam DEus fert, facit, reus ſit mortis, Rom. I.

 v. ult

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

v. ult. Hinc etiam mundus in operibus legis,& in legis ſapientia, gloriari ſolet: partim, & imprimis verò, quia opera legis ſunt hominum, & humanum quid, & in articulo Juſtificationis Chriſto opponuntur, quando quis vel Chriſtum excludit per illa, vel cum illis conjungit. Hinc etiam 8. eſt, quod v. 9. vocantur *egena & infirma elementa*, quæ nullam juſtificandi virtutem habent. Sub hæc elementa VI. dicuntur fideles in ſervitutem redacti. Ubi non ineptum putamus, quod annotant, Paulum non dicere, *ſumus facti ſervi*, ſed, *in ſervitutem redacti*: quia nihilominus fideles ſub legis pædagogia manſerunt filii, nec ſervi facti ſunt, juxta v. 1. ſubjiciebantur verò legi, quaſi ſervi eſſent, & per opera legis juſtificari deberent, cùm tamen lex tantùm pædagogus eſſet. Interim, qui ſervituti ſubjecti ſunt, etiam Apoſtolo ſunt ſuo modo δȢλοι, *ſervi*, v. 7.

V. 4. 5. 6. 7.

Quum verò venit plenitudo, &c.) Pro VII. argumenti ſpecialis confutatorii *Minore* altera his verſibus continetur Ratio, ut in Analyſi. Brevitatis gratia, quid alii ſentiant, præterimus. Cæterum I. per πλήρωμα τȢ χρόνȢ, *plenitudinem temporis*, intelligendum eſt tempus à DEO præſtitutũ, quo comprehendi voluit infantiam Eccleſiæ; reſpondet namque ei, quod v. 2. dictum, heredem infantem eſſe ſub tutoribus uſque ad tempus à patre præſtitutum. Quo pulchrè docemur, non eſſe ſolicitè nimis inquirendum, quare Chriſtus non venerit vel citiùs, vel tardiùs; cum tempus hoc fuerit res meri arbitrii divini. Πλήρωμα autem ſeu *plenitudo hujus temporis* eſt ultimum complementum ejus, quo finitur; q. d. *Quum venit tempus illud, quo infantia præſtituta Eccleſiæ finem ſuum accepit*, &c. Communiter videntur accipere pro impletione temporis, vel pleno tempore. Vid. D. *Hunn. Pareus*, *Eſtius* h. l. quod quidem quoad rem eodem recidit. II. Verbum ἐξαπέςειλεν, *emiſit*, de incarnatione filii DEI uſurpatum, probè notandum. Ex hoc namque Orthodoxi contra Socinianos & ſimilis farinæ homines concludunt, quod filius DEI ante incarnationem ſuam jam extiterit: ſiquidem qui nondum eſt emitti non poteſt. Quod confirmatur, quia etiam ſimpliciter hîc Chriſtus vocatur filius DEI; & effectus divinæ virtutis, redemtio noſtra, illi adſcribitur. Exceptiones illorum ſolvit D. *Fewrborn. Anti-Enjed.* diſp.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

diſp. VII. Conf. *Pareum* h. l. III. Cum dicitur, *γενόμενον ἐκ γυναικὸς, factum ex muliere*, participium ita reſolvendum eſt: *Emiſit DEUS filium ſuum, ut fieret ex muliere*; non autem cum Photinianis, *poſtquam factus eſt ex muliere.* Deſcriptio eſt incarnationis Chriſti; in quâ D. *Hunnius* notat magnum myſterium, quod Filius DEI, ab æterno à Patre genitus, denuò ex muliere natus ſit, atque adeò bis natus fuerit. *Pareus* verò putat, *γενόμενον*, reddendum, *factum*, & magis emphaticum eſſe, quàm *γεννώμενον*, *natum*; quia doceat, filium DEI ſic natum eſſe ex muliere, ut etiam ex ſubſtantia ejus factus ſit. *Γυναικὸς*, *mulieris*, autem vox non ſtatum conjugalem, ſed ſexum muliebrem denotat, quem etiam virgo habet: qui autem tantùm & ſimpliciter dicitur *filius DEI factus ex muliere*, intelligitur, quod ſine viri cooperatione ex eâ factus ſit, & ex muliere, quæ virum non cognoſcebat. Concluditur autem etiam hinc contra *Neſtorium*, quod mulier filii DEI mater ſit, cum expreſsè dicatur ex eâ factus. Sed IV. circa *γενόμενον ὑπὸ νόμον*, *factum ſub legem*, quæritur, quomodo filius DEI legi ſeſe ſubjecerit? *Piſcator* Calvinianus & illum ſectantes dicunt, Chriſtum factum ſub lege, quia, ut homo juſtus eſſet, obligabatur per hoc ipſum, quod homo eſſet, unde & per hanc ſubjectionem nihil nobis meruerit. Quam ſententiam pingit hoc loco *Pareus.* Meliùs *Eſtius* h. l. cum aliis Pontificiis ſcribit, filium DEI ſub lege factum eſſe, non obligatione, ſed obſervatione: quia Matth. XII. ſe ipſum appellaverit *Dominum Sabbathi.* In quod etiam conſentiunt meritò Noſtrates omnes. Fateri coguntur iſti, quod filius DEI factus ſit ſub lege, etiam quatenus legem implevit. Jam verò Paulus generaliter dicit, id factum, ut redimeret eos, qui ſub lege erant: at redimere non potuiſſet, ſi pro ſe feciſſet, quod fecit. Lex autem eſt univerſa lex Moſaica & moralis. Filius DEI, etiamſi legi ſe nunquam ſubjeciſſet, facturus tamen fuiſſet nil, niſi juſtum: ſicut & DEUS pater nil, niſi juſtum facit, etiamſi legi ſuæ non poſſit ſubjici. Itaq; non ſimpliciter ſe legi ſubjecit, quia ſanctè & juſtè fecit, quæcunque fecit, ſed quia in humili ſervi forma fecit, quæ lex imperat & requirit: ad quam humilem formam cum obligatus non fuerit, utique pro nobis omnia fecit, quæcunq; in illâ fecit. Hoc verò etiam vult, quod dicitur filius DEI factus ſub legem,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

gem. Nam V. omninò diſcrimen eſt, inter ipſum & nudos homines. Omnes homines redimendi erant ſub lege, etiam ii, qui nondum nati erant: At Chriſtus tantùm ſub legem factus eſt. Quod ſi quà homo verus fuiſſet obligatus pro ſe ad ſervandam legem, ſanè hactenus eodem modo fuiſſet ſub lege, ut omnes homines, nec ſub legem fieri debuiſſet. Senſus eſt: *Factus eſt filius DEI ſub legem, non pro ſe exiſtens ſub lege, ut eos, qui per ſe & pro ſeipſis ſub lege erant, h. e. omnes homines, redimeret.* VI. De verbo ἐξαγοράσῃ dictum eſt ad Cap. III. v. 13. VII. In verbis, ut υἱοθεσίαν, *adoptionem filiorum acciperemus*, υἱοθεσία, *adoptio filiorum*, accipienda eſt de pleniori gradu; q. d. *Ut in pleniori adoptionis filiorum uſu & libertate verſaremur.* Nam primum gradum adoptionis filiorum, per quem filii & heredes conſtituimur, habuerunt fideles etiam ante Chriſtum natum. De eodem pleniori gradu uſus & libertatis accipienda etiam ſunt ſequentia: *Quia verò eſtis filii* ſc. *majorennes.* Quare non amplius es ſervus, ſed filius ſc. majorennis; quod ſi filius ſc. majorennis, etiam heres ſc. hereditatem jam poſſidere incipiens pleniùs. Hoc cum quidam apud *Eſt.* h. l. non obſervarent, malè putarunt, juſtos V. T. non fuiſſe participes adoptionis Chriſti, nec potuiſſe vocari filios DEI. IIX. *Eſtius* & *alii* in h. l. malè ſtatuunt, per eos, *qui ſub lege erant*, intelligi tantùm Judæos: cùm potiùs intelligantur omnes homines, qui, licet non eo, quo Judæi, modo per omnia ſub lege eſſent, tamen ſub lege ſaltem morali eſſe debebant; quod Apoſtolus indicat verbis v. 8. *Sed tunc quidem non cognoſcentes DEUM ſerviebatis iis, qui naturâ dii non ſunt*; h. e. tunc quidem non cognoſcentes DEUM & legem ejus non ſerviebatis DEO ſub lege, ut debebatis, ſed iis, qui naturâ dii non ſunt. Sic juxta v. 6, etiam Galatæ, gentiles, ſunt inter illos, qui adoptionem filiorum acceperunt. Ubi fruſtrà *Eſtius* ſe & textum torquet. Probat IX. Apoſtolus, Galatas eſſe filios DEI ex eo, quod DEUS miſerit ſpiritum filii ſui in corda illorum, clamantem, *Abba, Pater*! ut non tantùm in Analyſi diximus, ſed *Eſtius* etiam h. l. obſervat. Sed hîc rurſus dona Spiritus ſancti amplioris menſuræ, ſub N. T. datæ, intelligenda veniunt. Neque enim dici poteſt aut debet, quod fideles V. T. non habuerint ſpiritum filii DEI. Itaque ſub N. T. DEUS

am-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

ampſiorem menſuram, auctam donis extraordinariis dedit, ut teſtatũ faceret, fideles jam eſſe filios majorennes, non minorennes. Notant X. meritò Orthodoxi, quod, ut ſuprà filius DEI, ita nunc quoque Spiritus S. dicatur emiſſus à DEO: unde oportet eum fuiſſe, antequam mitteretur, & veram perſonam eſſe. Et XI. appellatur *Spiritus filii*, quòd filius tùm in tempore miſerit, tùm ab æterno ſpiraverit. Et notatu dignum eſt, quod Pater dicatur emiſiſſe Spiritum Filii, quem tamen alibi filius ipſe dicitur dediſſe & miſiſſe: oportet itaque Patrem miſiſſe per Filium, & utrumque miſiſſe unâ miſſione. Nec negligendum teſtimonium SS. Trinitatis. XII. Dicitur *ſpiritus clamans, in cordibus* ſc. noſtris (hoc namque repetendum eſt) effectivè, h. e. quia facit corda clamare, ut annotant Interpretes: nam cordibus noſtris ſuggerit & quaſi acclamat, τὸ *Abba, Pater!* ut corda noſtra ſuum illud faciant, & exclament, *Abba, Pater!* XIII. Τὸ, ὁ πατὴρ, nonnulli habent pro repetitione, aut peculiaris emphaſeos: nos pro interpretamento; q. d. *Abba*, h. e. *Pater*. Stat autem pro vocativo, in quo Syri dicunt forma emphatica *Abba*, pro, *Abi*, *Pater mi*. Unde B. *Lutherus* rectè, lieber Vater. XIV. *Vulgatus* v. 7. vertit, *Itaq; jam non eſt ſervus:* ſequiturque *Lutheri* verſio; ſed in Græco eſt: *Itaq; jam non es ſervus*, quod etiam *Eſtius* obſervavit. Idem reddidit: *Et heres per Deum;* cum in Græco & Syriaco ſit: *Et heres DEI per Chriſtum.*

V. 8. 9. 10. 11.

Sed tunc quidem non cognoſcentes DEum, &c.) Hos verſus benè etiam nonnulli Interpretum conjungunt. Vid. D. *Hunnius* h. l. quanquam alii, ut *Pareus* h. l. verſum 11. cum ſubſequentibus connectunt. Verùm quod ſenſum attinet & ſcopum verborum, non parùm diſſentiunt. Nos in eo manemus, quod in Reſolutione diximus, novum hîc *argumentum*, idque *ſpeciale octavum*, haberi, *à turpi rerum inverſione* ſumtum. Cæterùm I. in v. 8. ad animum illis revocari Ethniciſmum, in quo priùs non ipſi tantùm, ſed & majores eorum ſub V. T. vixerint, ſatis eſt perſpicuum. Et elegans Ethniciſmi deſcriptio ex his verbis ſumi poteſt, quod ſit Religionis ejusmodi ſtatus, in quo ii, qui ignorant verum DEUM, ſerviunt iis, qui naturâ dii non ſunt. I. Particula τότε, *tunc*, ſine dubio refertur ad v. 3. h. m. *Sed tunc* h. e. quum adhuc eſſemus infantes, & ſub elemen-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

lementa mundi in ſervitutem dati. Non placet, quod *Eſtius* habet: *Dixerat Paulus, jam non es ſervus, per quod inſinuabat, Galatas aliquando fuiſſe ſervos.* Et mox: *Sed tunc quidem, id eſt, priusquam eſſetis filii.* D. *Hunnius*: Senſus eſt, *antequam vobis illuceſceret Evangelii doctrina.* Sed primum malumus. Sed III. quomodo gentiles ignorabant DEUM? Nonne notitia DEI naturalis in omnibus hominibus eſt? Sed DEUS ſumitur h. l. pro τῷ φύσει ὄντι θεῷ, *eo, qui naturâ DEUS eſt*, ſicut ex oppoſitione patet; *ſerviebatis iis, qui naturâ dii non ſunt.* Hunc verum DEUM non tantùm ignorat is, qui prorſus nihil de eo, etiam in confuſo, ſcit; ſed etiam, qui diſtinctam ejus notitiam non habet: quomodo ignorabant illum omnes gentes. Hunc DEUM unum eſſe naturâ & eſſentiâ, etiam individuâ, rurſus docet oppoſitio; *iis, qui naturâ dii non ſunt.* Hi namq; plures ſunt, non tantùm perſonis, ſive veris, ſive fictis, ſed etiam natura & eſſentia ſaltem individua, ut quos ex hominibus faciebant deos. IV. Obſervanda autem eſt tacita oppoſitio, ſic evolvenda: *ſerviebatis iis, qui naturâ dii non ſunt, non autem DEO vero in ſervitute legis pædagogica, ut eum potuiſſetis, & ſaltem quoad legem moralem debuiſſetis.* Et V. ſimilis tacita oppoſitio in v. 9. obſervanda quoque eſt: *Nunc autem cognoſcentes DEUM*, juxta Evangelium & ſtatum N. T. ubi non amplius debetis ſervire DEO ſub ſervitute pædagogica, *quomodo convertimini denuò ad egena & infirma elementa*, & non potius manetis in libertate Evangelica, in quâ manere debetis? VI. Ex v. 8. & 9 Orthodoxi argumentum ſumunt pro divinitate Chriſti. Nam is *DEUS, quem Galatæ cognoſcebant converſi, erat DEUS unus & naturâ DEUS. At DEUS ille erat Chriſtus. Ergò Chriſtus eſt unus & naturâ DEUS. Photiniani* negant ſubſumtionem, & volunt intelligi ab Apoſtolo ſolum DEUM Patrem. Quibus reſpondet *Fewrborn. Anti-Enjed.* p. 148. Conf. B. *Luth.* in h. l. *Pareus* in h. l. Verbo: quis ſit hîc verus naturâ DEUS, patet ex v. 6. *Emiſit DEUS Spiritum Filii ſui in corda veſtra*: nimirum Pater, Filius, & Spiritus S. Quidam VII. τὸ φύσει ita pervertunt, ut ſit tantùm, *verè*: ſed malè agunt. Etſi namque qui naturâ DEUS eſt verè DEUS ſit, falſum tamen eſt, quod φύσει tantùm notet *verè*. Potiùs ex hâc voce concludendum eſt; *Qui naturâ non eſt DEUS, non eſt*

verus DEUS; *Et, qui eſt verus DEUS, eum oportet naturâ DEUM eſſe*: Quod contra Arminianos & Photinianos obſervandum. VIII. Calviniani contra hinc oppugnant adorationem Chriſti hominis; *Illi non eſt ſerviendum, qui naturâ DEUS non eſt. At Chriſtus homo naturâ non eſt DEUS.* E. Sed *Major* loquitur de perſonâ, *Minor* de natura, atque adeò luditur quatuor terminis. IX. Annotat D. *Hunnius* & *alii* ex h. l. contra *Pontificios*, quod δουλεία de cultu DEI uſurpetur, adeoque diſtinctio Pontificiorum inter δουλείαν & λατρείαν nullius momenti ſit. X. Quando Paulus dicit, *cognoſcentes DEum, potiùs verò cogniti à DEO*, *Eſtius* hoc exponit de præveniente gratia: non malè, niſi ſenſu Pontificio. Meliùs hinc contra liberum arbitrium agit D. *Hunnius* h. l. *Loc. Comm.* V. Obſervandum tamen ſimul, quod cognitio DEI intelligenda ſit de cognitione DEI ſalutari & pleniori, per quam homo fit filius DEI, & quidem majorennis; q. d. *Nunc autem poſtquam veniſtis in gratiam cœleſtis Patris, tanquam filii majorennes, imò verò potius poſtquam ille ultrò aſſumſit vos in tantam gratiam.* XI. Quæ ſint *egena & infirma elementa mundi* ad v. 3. jam indicatum eſt. Dicit autem, *quibus iterum de novo ſervire vultis*: non quòd jam olim ſerviverint, ſed quòd *in Eccleſiam ſtatum iſtum ſervitutis reducere voluerint.* Pontificii urgent, intelligi tantùm ceremonias Judaicas: quanquam variè exponunt, quare dicantur elementa egena & infirma. Et ſanè D. *Hunnius* h. l. etiam eò collimat. Argumentum ſumitur ex v. 10. in quo ceremoniarum Judaicarum expreſsè & tantùm fiat mentio. Sed nos omninò ſimul, imò præcipuè, comprehendimus legem moralem. V. 10. nihil aliud probat, quam ceremonias includi. Certè Galatæ non tantùm ad ceremonias, ſed ad opera etiam legis moralis converſi ſunt; ut ex antecedd. capp. conſtat. Infirmitas autem & egeſtas in articulo Juſtificationis ſignificatur. XII. Menſes ſunt novilunia; Tempora, feſta ſolennia, Paſchatis, Pentecoſtes, Expiationis, Scenopegiæ, &c. Anni, feſta initii annorum. Hinc Noſtrates pugnant contra feſta Papiſtica meritoria & judaizantia rectè: quicquid contra nitatur *Eſtius* h. l. XIII. Φοβοῦμαι ὑμᾶς, *metuo vos*, ſcil. ut immorigeros, vel *metuo de vobis*. Vid. *Eraſm. Schmid.* h. l. Nexus eſt: *Tàm ſuperſtitiosè dies obſervatis &c, ut timeam, ne fruſtra laboraverim.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

Verſ. 12-- 20.

Eſtote ſicut ego, &c.) I. In verbis v. 12. *Eſtote ſicut ego, quoniam ego ſicut vos*, non inveniunt, quomodo Paulus fuerit ſicut Galatæ. Unde *alii* exponunt : Judaicas obſervationes meo exemplo abjicite, neque legem ſervitutis vobis patiamini imponi; nam & ego me veſtræ infirmitati accommodavi, ut vos Chriſto lucrifacerem. *Alii* : Eſtote in eadem mecum ſententia & veritate doctrinæ : nam & ego aliquando in errore eodem verſatus ſum, in quo vos nunc verſamini, quem moneo, ut meo exemplo deſeratis. Vid. *Eſtius* h. l. Pro poſteriori ſententia, quam præfert, & tribuit *Hieronymo*, *Chryſoſtomo*, *Ambroſio*, *Pareus* in poſteriori membro ſubaudit verbum ſubſtantivum in imperfecto, h. m. *Eſtote ſicut ego, quoniam ego eram ſicut vos*. *Alii*; *Eſtote alter ego, quia ego ſum vos*. Vid. *Par.* h. l. At D. *Hunnius* : *Videtis perſpicuè, quis meus ſit erga vos animus, nimirum ſalutis veſtræ ſitientiſſimus : Æquum igitur eſt, ut paternè vos amantem viciſſim filiali dilectione proſequamini*. Ita ille. Nobis videtur Apoſtolus invitare ſuo vivendi modo, ut maneant in eo, in quo hactenus ſteterint, ita ut videre poſſint, quod candidè & ſine omni fuco atque fraude agat cum ipſis ex purâ conſcientiâ. Eſtote etiam deinceps ſicut ego, ut operibus legis juſtificari vos non poſſe credatis, atque adeò in libertate Evangelii maneatis, nec ſequamini pſeudodoctores : videtis enim, quod ego conſtanter maneam; ſicut vos hactenus fuiſtis, & ſicut vos deinceps eſſe volo : quod ſanè non facerem, niſi in meâ conſcientiâ certus de re eſſem, ſtultus certè alioqui futurus, ſi à patriâ opinione abirem ſine certitudine: ut adeò in me nihil, quod ad candidum & conſcientioſum doctorem pertinet, deſiderare queatis. Nam hunc ſenſum nobis ſubminiſtrant verba ſequentia. Dicit enim II. *Fratres, rogo vos, nihil mihi injuriæ feciſtis*. Quæ verba de candido & ſincero Pauli erga Galatas affectu accipienda, etiam Interpretes obſervant. Quanquam injuriam accipiant de cauſa hujus Epiſtolæ ſeverius ſcriptæ; q. d. Etſi ſeverior ſum in hâc Epiſtola, ita ut vos vocaverim amentes, non tamen feci vindictæ cupidine, ſed bono animo. Vid. D. *Hunnius* h. l. *Pareus* h. l. *Eſtius* h. l. Nobis verò videtur omiſſa particula cauſalis, γὰρ, *enim*, hoc modo ſupplenda; *Fratres, rogo vos, nihil enim mihi feciſtis injuriæ*; & ſenſus hîc : Rogo vos, fratres, ut, ſicut

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

ſicut dixi, ſitis quemadmodum ego: nec eſt, ut vobis aliquid à me timeatis, aut putetis, quaſi deinceps minus mihi futuri ſitis grati & dilecti. Etſi enim in hoc, quod ab Evangelio meo abire cœpiſtis, non benè feciſtis, in eo tamen non læſiſtis me, cùm Evangelium non ſit meum proprium, ſed Chriſti, qui cùm ſine dubio vobis condonaturus ſit, quare ego vobis ſuccenſerem? Ita Apoſtolus removet id, quod Galatas abſterrere potuiſſet, quò minus petitioni illius, ut eſſent ſicut ille, locum relinquerent. Jam III. ulterius exponit alterum, quod dixit, *quia ego ſum ſicut vos*, per verba, *Scitis verò*, &c. v. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. Quorum verſuum ſenſum breviter his verbis complectimur: *Dixi verò, vos debere eſſe ſicut ego, ex hâc ratione, quia ego ſim ſicut vos, nihilq; vobis prædicem, niſi quod & ipſe faciam, atque adeò ex conſcientia purâ, candidâ, ſincerâ, vobiſcum agam, nec habeatis, quod in me deſideretis: hoc ut vobis probem, revoco vobis in memoriam, quod olim me talem inveneritis, atq; adeò ad proprium veſtræ conſcientiæ teſtimonium provoco. Nonne enim, cum vobis olim evangelizarem, eum me erga vos præſtiti in infirmitatibus tentationum & perſecutionum, ut tentationes meas non contemſeritis, aut irriſeritis, ſed ex iis, ut debebatis, obſervaveritis, quàm candidè vobiſcum agerem, & quod non meum commodum gloriamq;, ſed ſalutem veſtram deſiderarem? Unde &, eo ipſo moti, ſicut angelum DEI, imò ſicut JEſum Chriſtum ſuſcepiſtis. Quæ cùm ita ſint: quæ cauſa, quæſo, eſſe poteſt, ut me tàm fidelem tàm candidum veſtrum doctorem nunc deſeratis, & non ſitis ſicut ego? Nulla certè eſt, atq; adeò non debetis me deſerere, ſed eſſe ſicut ego. Alioqui ſi non feceritis hoc, ſequetur, aut vos ſuperiori tempore, quo adeò me honoraſtis & amaſtis, ut oculos etjam veſtros eruiſſetis, ſi potuiſſetis, & mihi dediſſetis, fuiſſe infelices, & ab omni beatitudine alienos, aut me prorſus fuiſſe vobis inimicum factum, non alia de cauſa, quàm quia vobis veritatem prædicavi, atque adeò vos mihi retribuere malum pro bono. Atqui prius de vobis ipſis non dicetis, nec vos ipſos tantæ ſtultitiæ reos facietis: poſterius verò impium eſt, nec certè committetis, ut de vobis dicatur. Manet ergò, quod nullam habeatis cauſam me, fidelem veſtrum doctorem, deſerendi. Itaque (quod tandem ſequitur) cauſa facti veſtri nulla eſt, ſed primò pſeudodoctores vos decipiunt, ſuum inte-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

rim commodum & gloriam aucupantes: deinde verò vos malè facitis ipſi, ſi vos ſeduci patimini, & non potius me etiam abſentem conſtanter æmulamini in eo bono, in quo olim æmulari cœpiſtis. Filioli mei, duriuſcula vobis videri poteſt hæc veſtri accuſatio: ſed ego in commodum veſtrum facio, conans hâc ratione vos denuò parturire, donec Chriſtus in vobis formetur. Equidem vellem præſens eſſe adhuc apud vos, & rem omnem ſic deprehendere, ut mutare poſſem vocem meam in leniorem: quod nunc non facere abſens poſſum, quia res ſic ad me allata eſt, ut non parùm ſim de vobis dubius & ſollicitus, exiſtimemq́ʒ, aliqua ſeveritate opus eſſe. Hæc paraphraſis eſto: quæ, niſi fallor, cohærentiam & verba, alioqui nonnihil obſcura, illuſtrare poterit. IV. Ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς, *infirmitatem carnis*, nonnulli accipiunt de morbo aliquo, quem alii putant etiam Paulo fuiſſe familiarem, ſignificatum per *angelum Satanæ colaphizantem*, 2. Cor. XII. Sed communiter de afflictione & perſecutione Pauli interpretantur, quam apud Galatas paſſus, ut ferè ubique locorum. Quod & nos probamus; mox enim dicitur πειρασμὸς, *tentatio*. Et aliàs etiam Paulus ſuas perſecutiones vocat *Infirmitates*, 2. Cor. XI. XII. V. Τὸ πρότερον, *prius*, eſt ſumendum de primâ prædicatione ante hanc epiſtolam, quando Galatas convertit. VI. Pro, *tentationem meam*, *Vulgatus* malè habet *tentationem veſtram*. Sed *Chryſoſtomus* & alii *Græci* legunt, *meam*, quin etiam nonnulla exemplaria Latina, fatente *Eſtio* h. l. VII. Tò *ſicut angelum*, quidam ſumunt pro Legato DEI; vid. *Par.* h. l. ſed verius eſt, quod intelligatur ſpiritus cœleſtis angelicus. Unde habemus etiã, quod Chriſtus ſit ſupra omnes angelos; quia ſequitur, *imò ſicut JEſum Chriſtum*. IIX. Pro, *quæ ergò erat beatitudo veſtra?* *Vulgatus* malè vertit, *ubi eſt ergò beatitudo veſtra?* Vid. *Par.* h. l. Senſum verò non unum faciunt. Aliis beatitudo dicitur pro prædicatione beatitudinis: idque vel *activè*, quâ vos me prædicabatis beatum; vel *paſſivè*, quâ ego vos beatos prædicem. Vid. *Eſt.* h. l. *Pareum* h. l. Sed meliùs ab aliis pro ipſa beatitudine ſumitur. Et nos quidem hunc in ſenſum interpretamur: Quæ ergò fuit iſta veſtra beatitudo, in hoc conſiſtens, quod tàm promtè & honorificè me ſuſcepiſtis, ut etiam oculos veſtros mihi dediſſetis? An nulla fuit? an infelix fuit? an ſtulti potius fuiſtis? Sanè hoc nec ipſi dicetis de vobis. Quod ſi ergò rectè feciſtis,

ſtis,

ſtis, ſi beati in facto veſtro fuiſtis: quare alieni jam eſtis à me? *Num* IX. *hoſtis veſter* (paſſivè & objectivè, quem vos pro hoſte habetis & tractatis) *factus ſum veritatem vobis prædicans* (non nunc, ut nonnulli, ſed prius?) Nihil enim me vobis hactenus feciſſe certus ſum, niſi quod olim verum Evangelium vobis prædicavi; ut oporteat vos me odiſſe propter hoc, ſi oderitis, quod verò impium eſt. Malè ergò X. tum pſeudodoctores veſtri faciunt, qui vos à me abſtrahunt; tum vos ipſi, qui me æmulari abſentem ceſſatis. XI. Pſeudodoctores dicuntur ζηλοῦν, h. e. *zelo & ſtudio ingenti ambire* Galatas, ut ad ſuam doctrinam abducant: ſed οὐ καλῶς, *non benè*, dum ad falſam doctrinam abducunt, quod ex antecedd. ut dictum, ſequitur. Dicuntur XI. ἐκκλεῖσαι, *excludere* velle Galatas, ſc. à veritate, quam prædicavi, ſeu Chriſto; nam Chriſtum amiſit, qui per legem juſtificari vult. Θέλουσι, *volunt* illi hoc facere, ipſa re, licet non intentione & confeſſione. Ut XII. αὐτοὺς ζηλοῦτε, *ipſos æmulemini*; non me, non Chriſtum, ut jam olim, quum præſens eſſem, & quidem in bono, in quo præivi ſub Chriſto & cum Chriſto: ut illos tanquam magnos & ſanctos viros æmulemini, &, ſicut illi, veſtris operibus confidatis, quod malum eſt. Et XIII. vos quoque malè facitis, qui ζηλοῦσθαι, *æmulari me* (activè, non paſſivè, ut nonnulli; vid. *Eraſm. Schmid.* h. l.) *tantùm voluiſtis præſentem, non etiam abſentem. Vulgatus* malè legit ζηλοῦσθε, *æmulamini.* Conf. *Eſt.* Reliqua ex paraphraſi haberi poſſunt.

V. 21. usque ad fin. Cap.

Dicite mihi, qui ſub lege, &c.) Argumentum ultimum in his verſibus annotavit jam Analyſis. Alloquitur I. Apoſtolus eos, *qui ſub lege eſſe voluerunt.* Per quos Galatas univerſos videntur Interpretes intelligere; q. d. *Dicite mihi, ô vos Galatæ, qui ſub lege eſſe vultis.* Sed videtur melius aliquod diſcrimen inter ipſos conſtitui, ut Paulus non omnes accuſet hoc nomine, ſed quosdam contentioſos, ſicut procul dubio non omnes tales erant; q. d. *Dicant mihi ii ex vobis, qui ſub lege eſſe volunt.* Quid autem ſit *ſub lege eſſe*, ad v. 5. diximus. Hi tamen Galatæ volebant iſtoc modo ſub lege eſſe, imprudentes, non intelligentes, quid reverâ eſſet, eſſe ſub lege: pertinaciter autem contendebant eſſe ſub lege, eo, quem tradebant pſeudo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

dodoctores, modo. II. *Num legem non auditis?* *Vulgatus*, *legiſtis*, alii, *audiſtis*: non ad verbum, non tamen malè ad ſenſum. Unde etiam B. *Lutherus* in præterito: Habt ihr das Geſetz nicht gehöret? Sed per legem hîc alii intelligunt *Pentateuchum*: alii *totum V. Teſt.* Vid. *Eſt.* h. l. D. *Hunnius*, ut videtur, Moſen, per quem lex lata eſt. Poſſumus verò etiam νόμον accipere de ipſa *doctrina legis*, ad quam pertinent comminationes, & nominatim ea, quæ mox allegabitur: *Ejice puellam cum filio ſuo*, &c. q. d. Legisne comminationem non auditis, ut vel tandem intelligatis, quid ſit eſſe ſub lege, & meliorem mentem ſumatis? Eam verò puto, quam ſequens hiſtoria vobis aperiet, ubi dicit lex: *Ejice ancillam*, &c. hoc namque dictum legale eſt. III. Natus dicitur Iſmaël ſecundum carnem, h. e. ſecundum naturæ curſum: Iſaac verò ſecundum promiſſionem, h. e. præter naturam, vi promiſſionis divinæ. Quando IV. Apoſtolus dicit, ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα, *quæ allegoriam in ſe continent*, quæritur, quomodo Apoſtolus ad hanc allegoriam provocet, cùm eam procul dubio nec Galatæ nec pſeudodoctores intellexerint, aut conceſſerint? Annon ſit petitio principii? ℟. breviter: ſi non intellexerint, ſua culpa non intellexiſſe, nec Apoſtolum velle, ut ſibi ſoli credant, ſed allegat Scripturam ſic exponentem Eſa. LIV. ut infrà dicemus pluribus. V. *Eſtius* obſervat, τὸ αὗται v. 27. poſſe referri ad ancillam & liberam; q. d. Hæ, ſc. ancilla & libera, ſunt duo teſtamenta: vel ad διαθῆκαι, ut vertatur: Hæc ſunt duo teſtamenta; quod ſæpè relativum reſpondeat genere & numero conſequenti nomini. Res fortè perinde erit: poſterius tamen probabilius, quia aliàs *Calviniani* ſuum tropum ſacramentalem hinc captant, (licet & tum illis occurri poſſit,) nec priora, ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα, ad ancillam & liberam relata ſunt, ut diceretur, αἵτινές εἰσιν ἀλληγορούμεναι. VI. Ἥτις ἐστὶν Ἄγαρ, *quæ* (ut *Vulgatus*, vel *quod*, ſc. teſtamentum, [B. *Lutherus*, welches iſt die Hagar.] Conf. *Eſt.* h. l.) *eſt Hagar* ſc. *allegorica*, ſeu, ut alibi Paulus loquitur, *ſpiritualis*. Malè interpretantur, qui *ſignificativè* accipiunt, ut *Par.* h. l. Neque enim Teſtamentum de monte Sina ſignificabat Hagarem, ſed ſignificabatur per illam: quod cum obſervaret *Beza*, conſtructionem invertere conatus eſt; ſed malè, fatente etiam *Pareo* in h. l. Et præterea, quod hîc intelligatur Hagar allegorica, patet ex prædicato, *ſervit cum liberis ſuis*; nam *Ha-*

gar propriè dicta non habebat niſi unum filium. Sic VII. Τὸ γὰρ ἄγαρ eſt *Hagar allegorica*, ut docet articulus, τὸ; q. d. *Id enim, quod per Hagarem ſignificatum eſt, eſt mons Sina in Arabia.* Nam quod alii accipiunt *materialiter* pro voce, quaſi Hagar notet montem Sinai, inter quos eſt *Pareus* h. l. & quidem, ut nonnulli volunt, in Arabia h. e. lingua Arabica, id prorſus non probamus: & *Eſtius* etiam h. l. non admodum probabile vocat. Mons enim Sinai ad deſertum Arabiæ referebatur. Senſum pleniorem mox dabimus. Jam IIX. verba συστοιχεῖ δὲ τῇ νῦν ἱερουσαλήμ, reddunt meliores: *unum eſt, idemq; ſignificat cum eâ, quæ nunc eſt, Hieroſolyma. Vulgatus* vertit: *Qui conjunctus eſt ei, quæ nunc eſt, Hieruſalem.* Ubi quidam putant conjunctum, non vicinitate loci, ſed per radices illuc usque protenſas. Alii; montem *Sina* perpetuo dorſo porrigi usque ad montem Sionis, quæ etiam videtur eſſe mens D. *Hunnii* in h. l. Alii interpretantur, *è regione ſitum.* Alii alias habent expoſitiones. Sed prima verſio & ſententia jam olim *Theophylacto* non diſplicuit, & probatur *Eſtio* atque aliis pluribus, ſimulque congruit verbo Græco συστοιχεῖ: q. d. idem στοιχεῖον facit. Eſt autem στοιχεῖον Apoſtolo *typus*, *umbra*, aut aliud *elementum.* Conf. v. 3, 9. Ea, quæ nunc eſt, Hieruſalem, à nonnullis exponitur, quæ nunc dicitur aut vocatur Hieruſalem, cum ſc. olim alia habuerit nomina, *Salem, Jebus*: quòd meritò improbat *Eſtius* h. l. Melius alii: Hieruſalem hujus temporis ac ſeculi terrena; cui opponitur cœleſtis. Ita etiam D. *Hunnius* noſter; ubi verò *Hieruſalem* ſumitur tropicè pro *populo Judaico legali*, ſeu, qui per legem juſtificari cupiebat. Conf. etiam *Eſt.* h. l. huic etiam opponi Hieruſalem cœleſtem, v. ſeq. Nolumus procul ab Interpretibus abire, non tamen per omnia idem ſentimus. Putamus autem (1) quod *Hieroſolyma, quæ nunc eſt*, omninò ſit populus Judaicus legalis, cujus metropolis erat Hieroſolyma, populus carnalis, reſpondens Iſmaëli ſecundum carnem genito, quia per carnem, h. e. ſua opera, quæ humana ſunt, ſeu hominum, qui caro ſunt, adeoque imperfecta ſaltem, juſtificari vult. (2) Idem tamen populus non eſt aliud, quàm *mons Sinai*, & Teſtamentum de monte Sinai, ſed unum idemque cum iis. Patet hoc vel inde, quia quemadmodum Hieruſalem cœleſtis v. ſeq. eſt mater, ita oportet Hieroſolymam terrenam eſſe matrem, vi op-

poſi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

poſitionis. Atqui Sinai ſeu Teſtamentum de Sinai monte eſt etiam mater, Hieroſolymæ cœleſti oppoſita; eſt enim Hagar ancilla, cui opponitur libera, quæ eſt ipſa Hieroſolyma cœleſtis. Ergò. Interim (3) verba; *Hagar enim eſt Sina mons in Arabia*, idem autem eſt, vel, reſpondet autem ei, quæ nunc eſt, Hieroſolymæ, typum pleniùs evolvunt: ita ut Hagar tropica ſeu antitypica ſit mons *Sinai*, qui in Arabia; non autem quatenus eſt mons naturalis in Arabia, ſed quatenus mons iſte eſt locus legis latæ, atque adeò, ut prius dictum, eſt Teſtamentum de monte Sina; idem verò τὸ ἄγαρ συστοιχεῖ, ſimul notat & eſt Hieroſolyma terrena, quæ eſt populus Judaicus legalis. Sed (4) cum lege conſideratus: nam hoc ſemper obſervandum hîc, quod *concretè* vocabula ſumantur, ut ſic loquar: Teſtamentum de monte Sina cum ipſo monte Sina, ſeu Hieroſolyma incluſa; h.e. quod & quatenus de monte Sinai latum; & viciſſim mons Sina, atque Hieroſolyma cum lege incluſa, ſeu quatenus legi ſervit. Populus etiam legalis *collectivè* ſumitur pro toto corpore, quomodo ut mater conſideratur, cujus filii ſunt ſingula membra ſeu individua: quanquam nomen populi in textu non eſt. Atque ſic ſubjectum τοῦ συστοιχεῖ non eſt σινᾶ, ſed τὸ ἄγαρ; quod vult ſimplex conſtructio. IX. Ea, quæ ſurſum eſt, Hieroſolyma, eſt oppoſita legi de monte Sinai, monti Sinai, & Hieroſolymæ terrenæ, ut jam ſupra dictum. Poſſunt itaque etiam ejus nomina non minus multiplicari, quaſi dicat: *Teſtamentum verò de monte Sion, ſeu ipſe mons Sion Hieroſolymæ altiſſimus, non quatenus quidem eſt mons naturalis in Hieroſolyma, ſed quatenus ex eo exivit Evangelium; & idem Teſtamentum novum eſt, ſeu de monte Sion, eſt etiam ipſa Hieroſolyma ſuperna, eſt libera ſeu Sara antitypica, quæ eſt mater omnium noſtrûm, qui in eâ ſub Evangelium Chriſti congregamur.* Dicitur autem *Hieroſolyma cœleſtis*, quia non vult juſtificari per aliquid terrenum ſeu humanum, ut ſunt opera noſtra, ſed per id, quod totum ſupernum eſt, & ſupernæ gratiæ, Chriſtum. X. Quod ſequitur; *Scriptum enim eſt*, &c. nos non cum aliis Interpretibus connectimus cum immediatè præcedentibus; nec ita accipimus, quaſi Apoſtolus velit docere, Eſaiam olim per duas mulieres, ſterilem & maritatam, intellexiſſe duo Teſtamenta, ut *Pareus* h.l. ſed referimus ad v. 24. &

ſeqq.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

ſeqq. ut Paulus ex Jeſaia probet, Saram & Hagarem continere typum duorum teſtamentorum: q. d. *Quod dixi, Saram & Hagarem continere typum, & ſignificare duo teſtamenta* &c. *id ex me non fingo, ſed ex Jeſaia deduco, ſcribente: Lætare ſterilis* &c. Quæ enim eſt ſterilis, niſi Hieroſolyma ſuperna? Quæ maritata, niſi Hieroſolyma terrena? Quare verò vocatur ſterilis hæc maritata? Nonne antitypicè, reſpiciendo ad Saram & Hagarem? XI. *Sterilis* & *maritata* ſibi opponuntur, non quaſi ſterilis non habuerit maritum, ſed quia fuit, quaſi eſſet ſine marito & ſolitaria, unde & deſolata appellatur; maritata autem dicitur, quatenus partu filii manifeſtum facit, ſe virum habere. Jam XII. verborum v. 28. *Nos autem* &c. hic ſenſus eſt: probavi ex Eſaia typum duarum matrum. Jam verò quod nos ſimus filii promiſſionis, juxta Iſaacum, ſeu antitypus Iſaaci, id vobis etiam clarum, nec probatione indiget. Mox porrò deducit allegoriam, quod ad perſecutionem. Et tandem XIII. concludit: *Quare non ſumus*, h. e. *de jure non ſumus*, non debemus eſſe, vel velle eſſe, ut vos facitis, filii ancillæ, ſed liberæ, ut juſtificemur fide, non operibus.

CAPUT V.

Analyſis.

IN hoc Capite V. & ſeq. VI. continetur ultima hujus Epiſtolæ pars, *Concluſio* ſc. *exhortatoria*, tribus partibus principalibus conſtans; quarum *prima* eſt *exhortatio ad conſtantiam in fide & libertate ejus Evangelica*, à v. 1. Cap. V. usque ad v. 13. verba, *modò ne libertatem*, &c. *Altera eſt exhortatio ad vitam Chriſtianam*, à verbis v. 13. *modò ne libertatem*, &c. usque ad Cap. VI. v. 11. excl. *Tertia eſt epilogus Epiſtolæ* à Cap. VI. v. 11. usque ad finem Epiſtolæ.

Caput autem V. ita partimur, ut duas ejus faciamus partes. In priori enim continetur *exhortatio* prior *ad conſtantiam in fide*; in poſteriori verò *præcepta vitæ Chriſtianæ* aliqua habentur.

Prior autem pars I. proponit ipſam *exhortationem ad conſtantiam in libertate ſeu fide evangelicâ*; tum *affirmativè*: *Libertate, quâ Chriſtus vos liberavit, ſtate*; tum *negativè*, & ne *iterum jugo ſervitu-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

tutis implicamini, v. 1. II. Subjungit argumentum ſeu *rationem ab incommodo*: quia niſi iſtud fecerint, ſed circumciſi fuerint, Chriſtum amiſerint, v. 2. quod ipſum emphaſeos gratia repetit ter diverſis verbis, ſimulque magis exponit, v. 3. 4. Argumentum hoc eſt: *Quicunq; , ubi libertate, quâ Chriſtus eos liberavit, non ſtant, ſed contrà jugo ſervitutis ita implicantur, ut circumcidantur, & lege juſtificentur, nullum à Chriſto habent commodum, redduntur debitores totius legis ſervandæ, à Chriſto abrogantur, gratia excidunt: illi omnino, ad vitandum tantum incommodum, libertate, quâ Chriſtus illos liberavit, ſtare, & jugo ſervitutis implicari non debent. Atqui quivis ex vobis, ô Galatæ, iſtud certò experiemini in iſtoc caſu.* E. Si mavis conditionaliter: *Si omnis, qui libertate* &c. *ſequitur, quod vos ſtare debeatis*, &c. *Minor* ſeu ſubſumtio III. probatur: Quia nos ſpiritu ex fide ſpem juſtitiæ expectemus, v. 5. *Quicunq; ſpiritu ſolo ex fide ſpem juſtitiæ expectant, illi, ubi libertate non ſtant*, &c. *nullum ex Chriſto habent commodum*, &c. *Atqui nos, & vos, ô Galatæ, ita expectamus.* E. *Minor* IV. probatur: quia in Chriſto JEſu nihil valet circumciſio, &c. v. 6. *In quocunque nihil valet circumciſio*, &c. *in illo, ſolo ſpiritu, ex fide, ſpem juſtitiæ expectamus. Atqui in Chriſto JEſu*, &c. *Ergò. Minor* ex diſputatione præcedentium Capitum ſatis conſtat, nec repetitur. V. Annectit exhortationi huic tria connexa: 1. *Objurgationem*, quod Galatæ hactenus non benè ſteterint, ſed in benè cœpto curſu paſſi ſint ſe impediri, v. 7. Quam objurgationem juſtam eſſe probatur (1) quia perſuaſio impediens non fuerit à vocante Chriſto, v. 8. (2) parvum fermentum totam maſſam fermentet: quod illi nimis imprudenter non obſervaverint, ibid. 2. *Spem ſuam*, quod (1) Galatæ non ſint aliud ſenſuri, quàm quòd ſtandum ſit in libertate Chriſti, v. 9. (2) Turbantes illos portaturi ſint judicium ſuum, v. 10. *Fundamentum hujus ſpei eſt*, quia per contrariam doctrinam abrogatur ſcandalum crucis, h. e. totum Evangelium, & pax cum Judaiſmo carnali initur ſyncretica, v. 11. 3. *Votum*: ut abſcindantur turbatores Galatarum, v. 12. Cujus *fundamentum*, quia Galatæ vocati ſint in libertatem: quam vocationem illi intervertant, v. 13. princ.

Poſte-

Poſterior pars habet I. *præceptum Chriſtianæ vitæ generaliſſimum.* Quod proponitur (I) & quidem *affirmativè* : *Per charitatem ſervite vobis invicem*, v. 13. fin. (II) Exponitur tum *affirmativè* per ſpiritum & fructus ſpiritus; *ſpiritu ambulate*, v. 16. Fructus autem ſpiritus, ſc. in quibus ambulare debetis, ſunt dilectio, &c. v. 22. 23. tum *negativè* per carnem & carnis opera; *Et concupiſcentiam carnis ne perficiatis*, v. 16. *Manifeſta autem ſunt opera carnis*, ſcil. quæ non debetis perficere, &c. v. 18. 19. 20. 21. (III) *Commendatur* 1. à *ſui præſtantia*, quia *in eo tota lex comprehenditur* de proximo diligendo, v. 14. 2. *à contrarii facti incommodo*; quo *tum* ipſi ſe invicem conſumunt, v. 15. *tum* hæreditate vitæ æternæ excidunt, v. 21. 3. *ab iniquo*; quia iniquum ſit, illos abuti libertate ſuâ ad occaſionem carnis, v. 13. 4. *ab æquitate*; quia æquum eſt, ut, qui ſpiritu vivunt, etiam ſpiritu ambulent, v. 25. 5. *à fine pugnæ carnis & ſpiritus*, qui hic eſt, ut non faciant opera carnis, quæ velint, v. 17. 6. *à commodo*; ut non ſint ſub lege & ejus maledictione; qui enim ſpiritu aguntur, non ſunt ſub lege, v. 18. quod fit, dum opera ſpiritus non ſunt contra legem, nec poſſunt maledici; caro verò crucifixa eſt cum concupiſcentiis & motibus, & pro iis per Chriſtum maledictioni legis ſatisfactum, ut non amplius maledictioni eidem locus ſit, v. 23. 24. II. *Præceptum Chriſtianæ vitæ primum ſpeciale.* Quod 1. eſt *negativum* : *ne ſitis vanæ gloriæ cupidi*, v. 26. 2. *commendatur ab incommodis contrariis*; quia operetur κενοδοξία tum *mutuam provocationem malam*, ibid. *tum invidiam*. ibid.

Exegeſis.

V. 1.

In libertate itaque, &c.) *Vulgatus* interpres verba hujus verſus ſic dirimit, omiſſa concluſivâ: *Itaque, fratres, non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ: quâ libertate Chriſtus nos liberavit. State, & nolite*, &c. Et annotant *Eſtius* atque *Pareus* in h. l. quosdam Græcos Codices etiam ſic legere. Sed rectè monet *Pareus*, rem ipſam loqui, quod noſtra lectio genuina ſit. Quis enim ſenſus eſt: *Sumus filii liberæ, quâ libertate Chriſtus nos liberavit?* *Eſtius* quidem in h. l. putat, exemplaria Græca non eſſe ſine errore, quia verbum ἱςάναι, *ſtare*,

 con-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

conſtruatur cum præpoſitione, quæ hîc malè abſit. Sed *Eſtius* obſervare debuiſſet, quod Nomina cum Relativis ſuis in eodem caſu, imprimis apud Græcos, ponantur, non obſervatâ verbi ſui conſtructione. Sic itaque hoc quoque loco ἐλευθερίᾳ in ablativo ponitur, quia relativum ſubſequens eodem caſu ponitur. Cæterum ex eo, quod Apoſtolus dicit, στήκετε, *ſtate*, *Auguſtinus* colligit, Galatas nondum fuiſſe lapſos, aliàs dicendum fuiſſe, *Surgite*. Non malè, ſi totum corpus Eccleſiæ ſpectemus: interim vacillarunt plurimi; quibus etiam rectè dicitur, *State*; quin & fugientibus dicitur, *ſtate*. *Stare* itaque eſt, ſine dubitatione & fluctuatione mentis libertatem retinere conſtanter, & eam eripere conantibus reſiſtere. Libertas autem eſt, quâ liberi ſumus, ut non cogamur per opera legis juſtificari, ſed per gratiam Chriſti. Lex autem jugum ſervitutis appellatur, quatenus imponitur, ut per illam juſtificemur; & quidem jugum importabile, Act. XV. v. 20. Ubi elumbis eſt expoſitio *Eſtii*, eſſe importabile, propter multitudinem præceptorum: cum fiat ob gravitatem & impoſſibilitatem implendi.

V. 2. 3. 4.

Ecce ego Paulus &c.) Quod I. Paulus ſui ipſius hîc mentionem facit, putat *Eſtius* cum aliis facere, ad inculcandam autoritatem ſuam. Idem videntur velle verba D. *Hunnii*, ſic exponentis: Id pronuncio ego Paulus, verus & indubitatus Chriſti ſervus & Apoſtolus. At *Pareus* dicit, Apoſtolum ſeipſum quaſi pignoris loco deponere; q. d. Tam ſunt hæc vera, quam verè ego Paulus appellor. Sed mihi phraſes, *Ego Paulus dico vobis*, *&*, *Teſtor omni*, videntur eſſe juramenti formulæ: Ego Paulus dico vobis, ſc. cum invocatione nominis Domini; Teſtor, ſc. ſub juramenti fide, in teſtimonium voco DEUM. Quomodo ingens eſt emphaſis, dum Apoſtolus etiam audet jurare ſuper veritate pronunciati ſui. II. Phraſes, *Chriſtus vobis nihil proderit*, *debitor erit totius legis ſervandæ*, *à Chriſto abrogati eſtis*, *gratia excidiſtis*, idem prorſus ſignificant, & ſe invicem exponunt. Nam ſi quis circumciditur, Chriſtus nihil prodeſt, ille pro ſe cogitur totam legem implere, ſine ulla remiſſione & gratia; gratiâ DEI excidit, & rigori juſtitiæ obnoxius eſt; à Chriſto abrogatus eſt & communione ejus. Atqui verò III. multi olim circumciſi

ſunt,

ſunt, quibus nihilominus Chriſtus profuit, &c. *Eſtius* in h. l. putat, Paulum de ſolis gentilibus loqui; q. d. Si vos gentiles circumcidemini, omni, qui circumciditur, ſc. ex vobis gentilibus: quia etjam tempore Pauli Judæi fideles filios ſuos circumciderint. Sed D. *Hunnius* h. l. diſtinguit tempora V. & N. Teſt. Paulum hîc de N. T. loqui, ſub quo qui circumciſionem tanquam neceſſariam ſuſcipiant, reipſa demonſtrent, ſe unà cum circumciſione recipere in ſe univerſam legem atque jugum ſervandæ totius legis. *Pareus* reſpondet, Circumciſionem fuiſſe inaugurale Sacramentum obligans circumciſos ad totam legem ſervandam. Sed hoc prorſus falſum eſt. Nos obſervamus, (1) quod Apoſtolo idem ſint h. l. *circumcidi, & per legem juſtificari velle.* Quare (2) Circumciſio h. l. non conſideratur, ut Sacramentum fidei, quomodo fidei opponi non poteſt; nec ut res adiaphora, quomodo ſub N. T. etiam Timotheus ab ipſo Paulo fuit circumciſus; ſed ut *opus legis*, ut cum ipſa lege opponatur fidei & Evangelio. Ubi jam res non erit difficilis, quomodo, qui circumciditur, ut per circumciſionem, tanquam opus legale, juſtificetur, obligetur ad totam legem ſervandam. Nam 3. arctiſſimus nexus eſt omnium præceptorum legis; ut, qui vult unum ſalutis & juſtificationis gratiâ conſequendæ facere, cogatur omnia implere: nam qui omnia facit, transgreditur autem unum, ſtatim eſt reus totius legis, Jacob. II. v. 10. Quæ etiam ratio eſt, quare qui circumciditur excidat gratiâ, & à Chriſto abrogetur, ut nihil ipſi proſit. Nam gratia atque Chriſtus cum lege, aut ullo opere legis, in unum conjungi non poſſunt, ut partim operibus legis, partim gratia Chriſti juſtificemur & ſalvemur. *Si enim ex gratia, non ex operibus: & contra*, Rom. XI. v. 6. Obſervanda hæc contra Pontificios. Contra Calvinianos verò, quod gratiâ DEI poſſit fidelis excidere. ℟. *Pareus* h. l. Paulum conditionaliter loqui, & non dicere, quod actu quisquam exciderit. Atqui Paulus non tantùm conditionaliter loquitur, *ſi circumcidamini*; ſed etiam categoricè, *quotquot per legem juſtificamini*, h. e. juſtificari vultis, gratia excidiſtis. *Eraſm. Schmidius* putat, πάλιν, v. 3. ſignificare, *contra*: cujus rationem nullam video; Paulus potiùs iterum dicit, quod priùs dixerat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

V. 5. 6.

Nos enim ſpiritu, &c.) Rationem præcedentium ſubjungi, docet conjunctio cauſalis, γὰρ, *enim*. Cæterùm I. ἡμεῖς, *nos*, *Pareo* ſunt Judæi fideles, Galatis & fidelibus gentilibus oppoſiti: quod non probamus. *Eſtius* exponit, Nos, quicunque rectè in Chriſtum credimus. Non malè; malumus tamen de omnibus hominibus, etiam Galatis vacillantibus, accipere. Vult Apoſtolus dicere: *Omnes enim nos homines ſolo ſpiritu ex fide ſpem juſtitiæ expectamus. E. quicunque ex hominibus ex circumciſione aucupantur, Chriſtum amiſerunt.* Congruit huic, quod v. 3. dixerat, *Teſtor omni homini.* II. Oratio excluſiva eſt, *Nos ſolo ſpiritu &c.* aliàs nihil concluderetur. Vult enim Apoſtolus excludere circumciſionem & legem. III. Πνεῦμα D. *Hunnio* eſt Spiritus S. fidem in nobis efficiens: *Eraſm Schmidio* verò promiſſio gratioſa ſalutis æternæ fide acceptata. *Pareus* putat, poſſe etiam intelligi cor & mentem, ſubjectum fidei. Nos intelligimus Evangelium, legi oppoſitum, de gratia DEI & merito Chriſti: quippe quod eſt virtus Spiritus ſancti, & aliàs quoque in oppoſitione ad legem hoc nomine gaudet, 2. Cor. III. v. 6. & alibi. Ita optimus ſenſus eſt: *Solo Evangelio de gratia DEI & merito Chriſti, ex fide illud apprehendente, expectamus ſpem juſtitiæ.* IV. *Spes juſtitiæ* ab *Eſtio* ſic exponitur: Spe certâ juſtitiam expectamus. *Pareus* dupliciter exponit: 1. Nos expectamus, h. e. confidimus, juſtitiam nos habere & habituros ex fide; 2. Expectamus in futurum ſpem juſtitiæ, h. e. rem ſperatam, ſalutem, & vitam æternam. Doctori *Hunnio* ſpes juſtitiæ eſt juſtitia fidei, expectanda ratione fructus & effectus, qui eſt vitæ æternæ poſſeſſio. Nobis expectatio eſt rei futuræ: ſpes, res ſperata, vita æterna non tantùm, ſed & juſtificatio, atque alia bona juſtis promiſſa: juſtitia, quæ coram DEO ſic valet, ut propter eam nobis det bona juſtis promiſſa, tùm in hoc, tùm in futuro ſeculo. Senſus hic erit: Nos omnes, quæcunque bona juſtitiæ coram DEO valenti promiſſa & juſtis ſperanda, non expectamus lege ex operibus, quaſi juſtitiam illam coram DEO valentem ex lege habere poſſimus; ſed ſpiritu ex fide, quo ſolo modo juſtitia iſta obtinetur, & ſpem juſtitiæ habere poſſumus. Expectant autem juſtificati quoque juſtificationem ratione continuationis. V. Dicitur *fides valere*, ſc. ſola, excluſi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

cluſivè. Eſt verò *per charitatem* ἐνεργουμένη, *operans*, non ἐνεργής, *operoſa*, *efficax:* quanquam & hoc bono ſenſu dici poteſt. Peſſimè Pontificii accipiunt paſſivè; quaſi fides per charitatem excitetur vel incitetur. Et urget *Eſtius* h. l. uſum verbi ἐνεργεῖσθαι, qui nunquam activus ſit, ſed paſſivus tantùm; ſed turpiter torquet claros textus Scripturæ, ut vel ex ſola inſpectione patere poteſt. Peſſimè etiam Syrus: *Fides, quæ per charitatem perficitur*, ſeu plena fit; niſi accipiatur in hunc ſenſum: quæ per charitatem docet, ſe plenam eſſe. Vult Apoſtolus: nihil valet, niſi ſola fides; quæ poſtquam valuit in Chriſto ad juſtificationem, tùm deinde charitatem operatur, & per charitatem charitatis opera; non autem juſtificationem.

V. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. pr.

Currebatis benè, &c.) Dicit I. *Currebatis benè*, ſc. in fide & ſpiritu; non in lege & operibus ad conſequendam juſtificationem & ſalutem. II. *Quis vos inhibuit, ut veritati non credatis?* Quærit Apoſtolus; non, quaſi neſciverit, inhibitos à diabolo & ejus inſtrumentis; ſed ut admirationem & indignationem ſuam indicet; q. d. *Currebatis benè; miror, quî fieri potuerit, ut tàm benè currentes paſſi ſitis vos inhiberi? Peſſimè feciſtis, & contra conſcientiam, tanquam meliora edocti.* Conf. *Eſt.* h. l. Sic ſupra Cap. III. v. 1. quis vos faſcinavit, veritati non credere? Interrogatio vero negat; q. d. Non benè feciſtis, quod paſſi eſtis vos inhiberi. Verbum ἀνακόπτειν uſurpari pro *inhibere*; & de inhibitione curſus benè uſurpari, docet *Er. Schmidius* h. l. Alii legunt ἐνέκοψε, quod eſt *impedire*. Sed prius plerique habent Codices. Quidam omittunt negativam; vid. *Eraſm. Schmid.* h. l. ſed optimè ſe habet, & infinitivus ſic reſolvi debet: *Quis vos inhibuit currentes, adeò ut veritati non credatis?* Malè *Vulgatus* addit: Nemini conſenſeritis. III. V. 8. nonnulli legunt interrogativè: Ergone perſuaſio veſtra non eſt ex eo, qui vocavit vos? Sed meliùs & communiter ſine interrogatione legitur. Reſpondet & rationem reddit ad priora. Si interrogatio in negationem reſolvitur, res plana eſt, h. m. Peſſimè feciſtis, quod paſſi eſtis vos inhiberi. Nam I. debuiſſetis obſervare, quod hæc perſuaſio, quâ inhibemini, non ſit ex eo, qui vocavit vos, DEO & Chriſto, ſed diabolo. 2. Quod, ſicut exiguum fermentum totam maſſam fermentat, ſic hic error totum veſtrum Chriſtianiſmum cor-

rum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

rumpat, atque adeò ſit peſtilentiſſimus. Quomodo ſimul habemus cohærentiam & ſenſum verſus 9. In quo verba, μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ, ſunt verſus Jambicus, quem aliqui putant ex vetuſto Poëta ſumtum. Vid. *Eraſm. Schmid.* h. l. IV. Jam v. 10. ſpes Apoſtoli ad pœnitentiam & veram viam Galatas invitat, & revocat; q. d. *Sed licet turpiter erraveritis, & peſſimè feceritis, ſcio tamen, quod in Domino JEſu veniam habere poſſitis, ſi modò vos pœniteat, & ſpero vos à me nunc admonitos etiam pœnitentiâ tactum iri. Quomodo fiet, ut vos non puniamini: ſed ii tantùm, qui vos turbant, portent ſuum judicium, quicunque fuerint aliàs, parvi vel magni.* V. In v. 11. Apoſtolus per proſopopœiam ſeipſum introducit in perſona pſeudodoctorum, ut oſtendat, quantum malum ex illorum doctrina ſequatur; q. d: *Ne putetis, me ex odio perſonarum aliquid dicere, transferam rem in me ſub conditione. Scitis, quas perſecutiones propter Chriſtum crucifixum patiar, ut glorier etiam in paſſionibus meis. Jam ſi ego prædicarem circumciſionem ſeu juſtificationem ex circumciſione & operibus: nonne ſtultus eſſem, ſi perſecutionem paterer propter Chriſtum crucifixum? Utique ſcandalum crucis abrogaretur, tota doctrina de Chriſto crucifixo pro nobis irrita redderetur, gloria paſſionum mearum nulla eſſet; idem ſentirem cum perſecutoribus meis. Nonne enim perſecutores mei ex hoc ſolo ſcandalizantur, quod propter crucem Chriſti, ſine operibus legis, juſtificemur? Videtis itaq; quid mali ex doctrinâ pſeudodoctorum ſequatur.* VI. In v. 12. votum Apoſtoli continetur, ſed cum oppoſitione; q. d. *Abſit verò à me, ut ſcandalum crucis abrogetur, ut potius optem, excindi eos, qui vos inquietant.* Vertere poſſis: *Imò* (contra) *utinam abſcindantur, qui inquietant vos.* Nam καὶ correctionibus inſervire poteſt.

V. 13. 14. 15.

Modò ne libertatem &c.) De cohærentia I. cum præcedentibus benè annotat *Eſtius* h. l. Pulcrè per occaſionem vocabuli *libertatis* (cum dictum pr. v. 13. Vos enim *in libertatem* vocati eſtis) hoc loco facit Apoſtolus tranſitum ad moralem exhortationem &c. Et D. *Hunnius* h. l. putat, ſimul occupari objectionem pſeudodoctorum, quaſi ex libertate Evangelica ſequantur diſſoluti mores. II. In Græco aliquid v. 13. ſupplendum eſt. Et *Vulgatus* quidem ſupplevit,

detis;

detis, ſimulque ex dativo, *carni*, fecit genitivum, *carnis*, h. m. *Tantùm ne libertatem in occaſionem detis carnis.* B. *Lutherus*: daß ihr durch die Freyheit dem Fleiſch nicht Raum gebet. *Syrus*: *Tantùm ne ſit libertas veſtra in occaſionem carnis.* Alii aliter. Senſus planus eſt, quod Paulus dehortetur, ne libertas in occaſionem peccandi aut licentiam permutetur. Quæ eſt etiam dehortatio D. Petri. 1. Ep. cap. II. v. 16. Quicquid jam ſit de ſupplemento. Quanquam de hoc ſimpliciſſimum nobis videtur, ſubaudire verbum ſubſtantivum in infinitivo: Μόνον μὴ τὴν ἐλευθερίαν εἰς ἀφορμὴν τῇ σαρκὶ γενέσθαι, *modo non fieri ſeu evadere libertatem in occaſionem carni*, h. e. μόνον ἵνα μὴ γένηται, *modo ne evadat*, &c. Et ita accepiſſe videtur etiam *Syrus*. Evadit autem libertas in occaſionem carni, quando negligentia noſtra permittitur carni, ut libertatem pro licentia peccandi interpretetur. III. Tota phraſis ſimul ſumenda eſt, cum dicitur: *Per charitatem ſervite*, ut ſervitus charitativa intelligatur, h. e. quâ quis alteri gratis faciat bonum (ut ſervus ſine mercede ſervit) ex charitatis motivo. IV. Tota lex v. 14. eſt lex ſecundæ tabulæ ſeu de dilectione proximi: πληροῦσθαι autem, *impleri*, eſt comprehendi & contineri plenè. Nam de dilectione proximi cœpit Apoſtolus agere v. pr & acturus eſt usque ad Epilogum cap. VI. v. 11. quod procul dubio Apoſtolus ex certis cauſis fecit, ut annotant Interpretes, maximè quia rixis & diſſidiis apud Galatas peccatum ſit. Quanquam etiam amplius nihil reſtabat Apoſtolo poſt aſſertam libertatem in Chriſto apud DEum. In hâc namq; libertate comprehenduntur ea, quæ ad DEum pertinent, & ad cultum ejus; ut tantùm ſuperſit, dilectionem proximi inculcare, ne quis abutatur gratia DEI in Chriſto nos liberante, ut ſimus filii DEI dilecti & hæredes, clamantes, Abba, Pater, & DEo tantùm ut patri ſervientes; ne, inquam, quis hac abutatur turpi paralogiſmo: Apud DEum ita ſum in gratia, ut nullius ſervus ſim, ſed filius DEI liber; Ergò non debeo eſſe ullius hominis ſervus. Etiamſi enim ex libertate noſtra verum ſit, quod nullius hominis ſervi in ſpiritualibus eſſe debeamus; hoc tamen malè contra ſervitutem charitativam torquetur. *Eſt.* in h. l. hunc facit ſenſum: Non revoco vos omninò à lege, ſed ſolum ab eâ, quæ propria eſt ſervorum, quæque vocationi veſtræ repugnat, id eſt, à lege ceremoniali. Malè utique. Ab omni namque lege Paulus avocat,

quatenus ſerviliter ſervatur; non autem quatenus ex charitate, & in proximi commodum. V. Qui ſeipſos invicem mordent & comedunt temporaliter, illi ſe invicem conſumunt in æternum, ſibi invicem cauſa condemnationis exiſtentes. D. *Hunnius* quidem de pesſundatione Eccleſiæ viſibilis temporali interpretatur, & cum eo *Pareus* & *alii*: Sed nos prius malumus.

V. 16. 17. fin.

Dico autem: ſpiritu ambulate, &c.) Verſ. 16. I. *Vulgatus* ita vertit; *Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis.* Quomodo etiam B. *Lutherus*: So werdet ihr die Lüſte des Fleiſches nicht vollbringen. Verumenimverò in Gr. non eſt τελέσετε, ſed in ſubjunctivo, τελέσητε; qui ſubjunctivus æquipollet imperativo, *perficiatis*, ſeu, *perficite*. Benè *Eſtius* Pontificius obſervat, non dici: & concupiſcentias carnis *non habebitis*, ſed, *non perficietis*: quia in hac vita impoſſibile ſit, non habere carnis deſideria ſeu motus. Sed cæcitas pontificia eſt, quod non pro peccatis habet. II. In v. 16. & 17. quærunt, quid per carnem & ſpiritum intelligatur? *Liranus*, inquit *Eſtius* h. l. & *alii nonnulli, duplicem hominis appetitum ſignificari putant: inferiorem, qui fertur ad ſenſibilia, & ob id ſenſitivus appetitus vocatur, alio nomine ſenſualitas; & ſuperiorem, id eſt, intellectum, ſeu rationalem appetitum, quo diliguntur intelligibilia, quæ ſenſu percipi nequeunt.* Quod benè refutat idem *Eſtius*. *Alii*, pergit idem, *per carnem intelligunt animam, quatenus carnalis eſt, id eſt, ad vitia proclivis; per ſpiritum verò, eandem animam, quatenus ſpiritualis eſt, id eſt, per Spiritum ſanctum reformata.* Eodem recidit, quando alii intelligunt hominem, quâ parte carnalis eſt, & quâ parte ſpiritualis. Quæ etiam eſt ſententia *Parei* in h. l. At *Eſtius* per *carnem* carnalem concupiſcentiam; per *ſpiritum* ipſum Spiritum ſanctum ſignificari putat. Quam ſententiam fortè ex Noſtratibus ſumſit: Nam eſt D. *Hunnii* ante *Eſtium*. Hanc poſtremam ſententiam nobis perſuadere debet, quod ſequitur; *Si verò ſpiritu agimini*, &c. collato Rom. IIX. v. 14. Obſervandum tamen eſt, quod *ſpiritus* h. l. non ſumatur præciſè, ſed in verbo Evangelii, & per hoc datus, atque adeò cum verbo, quod implantatum eſt cordibus noſtris, Jac. I. v. 21. Conſideratur enim ſpiritus, quatenus nos liberat à ſervitute legis, ut non ſimus ſub lege; quod utiq;

facit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

facit per verbum Evangelii. Idem ſpiritus Evangelii, ſeu verbi cordibus noſtris implantati, vel propter hoc ipſum, quia cum Evangelio implantato in cordibus noſtris habitat, etiam cor noſtrum, quatenus renovatum eſt, includit, quod à Spiritu S actum concupiſcit adverſus carnem. Ita etiam accipitur vox *ſpiritus* inf. v. 25. *vita enim nova nobis data eſt ſpiritu, & ſecundum ſpiritum.* Cap. II. v. 20. dixit: *Vivo non amplius ego, ſed vivit in me Chriſtus.* III. Quum dicitur, *ut non, quæ vultis, ea faciatis*, non eſt intelligenda voluntas renovata, ſed carnalis; q. d. *Ut non, quæcunq; ſecundum carnem vultis, ea faciatis.* Vult hoc ſanè ſcopus Apoſtoli, qui eſt, probare, quod ſpiritu ambulandum ſit, & concupiſcentia carnis non perficienda. Ratio nim. Quia hîc finis ſit pugnæ inter ſpiritum & carnem; alioqui enim non fruſtranea eſſet iſta pugna, ſi liceret nobis ſecundum carnem vivere. *Pareus* conjungit utramque voluntatem, regeneratam & carnalem. Loci Rom. VII v. 15. per circumſtantias textus alia eſt ratio. Si quis IV. terreatur, ſibique timeat, quod non poſſit perfecta opera facere, atque adeò per legis maledictionem damnetur: addit Paulus ſolatium, *ſi verò ſpiritu agimini*, ita ſcil. ut impulſum ejus ſequamini, eumque perficiatis, *non eſtis ſub lege*, h. e. ſub legis maledictione. Ratio infrà exponetur, quia fert fructus ſpiritus, qui quà tales boni ſunt, nec poſſunt à lege damnari; quà autem imperfecti ſunt, ex carnis infirmitate, caro crucifixa eſt in fidelibus per Chriſtum, qui maledictionem, quam imperfectio meretur, ſuſtinuit. Præterquam enim, quod hîc ſit quædam ratio movens, eſt ſimul occupatio objectionis. Quæ de operibus carnis & fructibus ſpiritus dicuntur, non obſcura ſunt, & longum foret ſingula vocabula conſiderare. Vid. *Interpp.* imprimis D. *Hunnius* h. l. V. De operibus carnis v. 21. dicit: De quibus prædico, quemadmodum etiam prædixi, ſcil. antequam veniat tempus, quo regnum DEI poſſidendum eſt. De hoc VI. quærunt, quare dicantur *fructus ſpiritus*, & non opera ſpiritus? Ubi nos breviter putamus ideò fieri, quia opera renatorum bona non conſiderantur ut opera meritoria, ſeu, quæ ob merita fiunt, ſed ut fructus bonæ arboris, ſeu qui ultrò ex bona arbore ſequuntur, per Spiritum S. qui bonam arborem in fidelibus plantat.

CAPUT VI.

Analyſis.

HUjus Capitis duæ ſunt partes. Prior continuat præcepta Chriſtianæ vitæ ſpecialia. Quorum II. eſt *reſtitutio lapſorum*, v. 1. Ubi obſervari poſſunt 1. *reſtituentes*; πνευματικοὶ, *ſpirituales*, ibid. 2. *Reſtitutio in priorem locum*; καταρτίζετε, *reparate, reſtituite*, ut luxatum membrum, ibid. 3. *Modus reſtituendi*; *in ſpiritu manſuetudinis*. ibid. 4. *Reſtituendus*; *homo transgreſſione præoccupatus*. ibid. 5. *Reſtitutionis rationes*; (1) *memoria propriæ labilitatis*; *ſpectans teipſum*, &c. ibid. (2) *præceptum Chriſti*, *ut unus alterius onera portet*, v. 2. (3) *propriæ defraudationis evitatio*, v. 3. Et (4) *proprii operis probatio*, v. 4. requiſita ob modum judicandi futurum, ut quilibet proprium onus portet, v. 5. III. *Catechizantium honeſta ſuſtentatio.* Ubi 1. *Communio*; κοινωνείτω, *communicato*, h. e partem dato, non communia omnia faciat, v. 6. 2. *Communicans*; κατηχούμενος, *qui catechizatur*. ibid. 3. *Cui communicandum*: κατηχοῦντι, *catechizanti*, ibid. *Materia* 4. communicationis; *in omnibus bonis*. ibid. 5. *Modus communicandi*; *non avarus*, & *fraudulentus*, quo illuditur DEO, v. 7. 6. *Ratio*: quia *DEus non patitur ſibi illudi*. ibid ſed retribuit juxta opera, meſſemque dat juxta ſementim, v. 7. 8. IV. *Communis benignitas*: quæ 1. eſt præſtanda ſine defatigatione, & quamdiu tempus habemus, v. 9. 10. 2. erga quosvis, v. 10. Sed tamen 3. præcipuè erga domeſticos fidei. ibid. Quia 4. etjam præmium erit æternum, dum proprio tempore metemus non intermiſſionem paſſuri. ibid.

Poſterior eſt *totius Epiſtolæ Epilogus*. In quô Paulus I. benevolentiam captat, ut tandem ſibi animos Galatarum de novo conciliet, & in ſuas partes abſtrahat à pſeudodoctoribus. *Captat* autem *benevolentiam* 1. à *laboris ſui prolixitate*: ecce, quàm multis &c. v. 11. 2. ab *animi ſui ingenuitate* & ſinceritate: qui non quærat propriam gloriam in perſuadendis Galatis, ut pſeudodoctores, v. 12. de quibus hoc ipſum probatur v. 23. ſed gloriam JEſu Chriſti crucifixi, v. 14. in quo nihil mundanum quærendum, ſed crucifigendus mundus, ibid. Cum

in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

in Chriſto nihil valeat, præter novam creaturam, v. 15. II. *Benedicit & bona promittit obedientibus*; Et quotquot, &c. v. 16. III. *Minatur ulteriores moleſtias creaturis*, v. 17. bona ex ratione; quia ſtigmata Chriſti JEſu in corpore ſuo portet; ut novas moleſtias addere non debeant alii. ibid. V. *Precatur gratiam Domini*, voto concludens, v. ult.

Exegeſis.

V. 1.

Fratres, ſi etiam &c.) Cohærentiam I. alii aliam inveſtigent: nobis ea placet, quæ monſtratur per particulam καὶ, *etiam*, cum dicitur: *Fratres, ſi etiam præoccupetur* &c. & hæc eſt: Adeò non ſitis vanæ gloriæ cupidi, ut etiam, ſi præoccupatus aliquis in errore, tamen non contemnatis illum ſuperbè, ſed cum ſpiritu potiùs manſuetudinis erigatis. Vana namque gloriæ cupido gratulatur ſibi, ſi alii cadant, ut ſe ſtare gloriari contra illos poſſit. Huic etiam, quæ ſequuntur, congruunt. II. Ἄνθρωπος, *homo*, more Hebræorum ſignificat *aliquem*; Si præoccupetur *homo*, h. e. ſi *quis* præoccupetur. D. *Hunnius* putat, ſimul digitum intendi ad infirmitatem humanam; q. d. Si quis, ut qui homo infirmus eſt, præoccupetur &c. III. Verbum προληφθῇ, *præoccupetur*, eidem D. *Hunnio* notat lapſum infirmitatis ſine proæreſi. Quæ communis videtur recentium & veterum interpretum ſententia: qui etiam vocem παράπτωμα de improviſo lapſu interpretantur. Verumenimverò, ſi quis etiam mortaliter peccavit, annon videndum eſt, ut pœnitentiam agat? Atqui omnia peccata mortalia includunt proæreſin. Peccatum etiam Adami Rom. V. 17. 18. dicitur παράπτωμα, quod, ſi ullum hominum, cum proæreſi conjunctum fuit. Malumus itaque interpretari de *quovis lapſu*, parvo & magno, qui caſtigatione opus habet. In omni enim homo occupatur à carne vel errore, dum prius vincitur, quàm vincit; turpiſſimè autem vincitur, quum lubens vincitur. IV. Ἐν, benè hìc redditur, *per*; *Per aliquem errorem*, h. e. ab aliquo errore. Sic B. *Lutherus*: von einem Fehl. V. Οἱ πνευματικοὶ, *ſpirituales*, quinam ſint, quæritur. Quibusdam ſunt Doctores; aliis, Presbyteri; aliis, perfecti, firmiores. Vid. *Eſtius* h. l. Sed benè D. *Hunnius* de cunctis verè piis & fidelibus imperio ſpiritus DEI ſeſe ſubmittentibus accipit. Addimus: ſtan-

 tibus,

tibus. Hi namque opponuntur lapſis, qui ſuo lapſu carnales facti ſunt. Hi VI. debent καταρτίζειν, *reſtituere lapſum*, tanquam luxatum membrum, in locum ſuum, quem habuit in corpore Eccleſiæ. Hæc namque verbi Græci vis eſt. Vid D. *Hunnius*, *Er. Schmid.* h.l. Nimirum VII. *Spiritu manſuetudinis*, h. e. eâ manſuetudine, quam ſpiritus DEI ſuggerit; ut ſpiritui obſequantur, non carni Manſuetudo autem non opponitur ſeveritati, quâ Paulus ipſe uſus eſt, ſed ſuperbæ abjectioni, etiam pœnitentium, ut Phariſæi olim fecerunt. *Ratio* VIII. *prima* eſt: ſpectans teipſum, ne & tu tenteris. Nam qui carnaliter aliorum malo gaudet, ille diabolo occaſionem quoque præbet tentandi ipſum, & DEUS juſte permittit. *Tentari* autem hîc *cum eventu* conjungendum: *Tenteris ita, ut tentatione vincaris, & labaris.* Opponitur autem hic locus Calvinianorum dogmati, quaſi credentes fidem amittere nequeant.

V. 2.

Invicem alii aliorum onera &c) *Altera ratio* I. eſt, quare lapſi manſuetè ſint reſtituendi. Ubi II. per *onera* intelligunt *peccata*. Vid. D. *Hunnius*, *Eſtius*, & alii h.l. Malim latiùs accipere pro *quovis onere*, peccati, miſeriæ, crucis, laboris, atque onere corporali & ſpirituali. Generalis enim regula eſt latiſſimè, quàm poteſt, accipienda. Sed quomodò III. portanda? ℞. *Eſtius*: Ut quodammodo reputent ſua, condolendo, diſſimulando, ferendo, leniter admonendo, fraternè corripiendo; denique hoc agendo, ut corrigatur frater potiùs, quam puniatur. D. *Hunnius*: ut errantibus ignoſcas. Nobis *portare alterius onus eſt, agere & pati omnia, quæ ipſe agere & pati debebat*; e.g. Si quis peccat, incumbit illi, ut ad vitandam pœnam faciat omnia, quibus ad remiſſionem peccati & ſalutem pervenire queat: qui ergò portat onus illius, illa etiam facit, nec quieſcit monendo, ad Eccleſiam & pœnitentiam adducendo, donec eum converterit, & remiſſionem peccatorum impetraverit, adque ſalutem reduxerit. Idem ad alia onera, pro natura illorum, applicandum eſt. IV. Ἀναπληρώσατε, benè obſervat *Eraſ. Schmid.* h. l. eſſe imperativum. B. *Luther.* *Vulgat.* & alii in indicativo vertunt. V. Per *legem Chriſti* intelligunt illam Joh. XIII. v. 34. *Mandatum novum do vobis*, *&c.* Vid. *Hunn.* *Eſt.* & alios h. l. In iſto verò mandato etiam exemplum Chriſti continetur.

V. 3.

Si namq; videtur &c.) *Tertia* I. *ratio* eſt: ut in Analyſi diximus. Sumitur verò à periculo; q. d. *Quod ſi namque quis non fecerit iſtud, ut ſeipſum ſpectet, & alterius onus portet, ſed contra viſus fuerit ſibi aliquid eſſe, adeò ut ſtare poſſit ſine periculo, nec opus habeat timere lapſum, is ſeipſum decipit: ſiquidem reverâ in hoc, ut ſtet ſine periculo, nihil eſt, ſed apud ſolum DEUM ſtat, quem propterea ad iram provocare non debet.* Benè ſanè II. etiam *Eſtius* obſervat, quod qui ſibi viſus eſſe aliquid, non propterea, quia ſibi videatur talis, nihil ſit; ſed quia reverâ nihil ſit. Ideò namque dicitur falli animo ſuo, quia aliud ſe eſſe putat, quàm in rei veritate eſt, & abſolutè loquendo; licet comparatè loquendo multum ſit.

V. 4. 5.

Opus autem ſuum probet &c.) Variè I. exponitur verſ. 4. *Alii* ita: Unusquisque judicabitur, & retributionem gloriæ vel ignominiæ recipiet pro opere ſuo, non quale fuerit alieni operis comparatione, ſed quale in ſe; ac proinde non debemus reſpicere ad alios fortè pejores aut minus bonos. *Alii:* Si bonum inveniat opus ſuum, habebit, unde glorietur in conſcientia ſua & coram DEO, ut non ſit ei neceſſe, gloriam mendicare ab aliis. *Alii* per Ironiam: Qui ſibi ſpirituales ac cæteris perfectiores videntur, quod videant aliorum lapſus & infirmitates; hi, ſi vitam ſuam diligenter excutiant, invenient haud dubiè lapſus proprios: in illis, ſi velint, glorientur; neque putent, ſibi gloriam per hoc accedere, quòd alii peccent, quorum comparatione juſti videantur. Vid. *Eſtius* h. l. qui medium ſenſum præfert. Eundem videtur exprimere *Hunnius* in h. l. ſicut *Pareus* primum. Sed primus & ſecundus facilè videntur conciliari poſſe. Nobis 1. videtur verbum δοκιμάζειν, *probare*, non eſſe h. l. *examinare & diſcutere*, quale opus aliquod ſit, ſed *ita benè facere, ut ab aliis, ipſo imprimis DEO, probetur & approbetur.* 2. ἔργον, *opus*, opponi δοκήσει, *opinioni de ſe nimia*, de quâ v. pr. ut 3. δὲ, *verò*, ſit particula correctionis. Quomodo 4. hic erit ſenſus: *Potiùs, quàm ut vobis ipſis aliquid, & plus quàm alii, eſſe videamini, in hoc laborate, ut opem veſtra DEO probetis: tunc enim demum gloriationem aliquam habebitis, & quidem cum fundamento in vo-*

bis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

bis ipſis, & non in alius reſpectu, poſito. Jam II. verſus 5. *Quilibet enim proprium onus portabit*, etiam non uno modo exponitur. Nam onus alii pro peccato habent, hoc ſenſu: In judicio divino unusquiſque ſtipendium recipiet peccati ſui, non alieni. *Alii* de debito reddendæ rationis; q. d. quia unuſquisque pro ſe rationem reddet DEO. Vid. *Eſt.* h. l. Poſterius habet D. *Hunnius* noſter etiam h. l. Nobis φορτίον, *onus*, videtur eſſe non tantùm ipſum *peccatum*, ſed & *pœna peccati*, in h. ſ. *Quòd ſi enim iſtud, ut probetis proprium veſtrum opus, non feceritis, ſed peccetis ſuperbia, reverâ experiemini, quod juxta rigorem juſtitiæ DEUS vobiſcum acturus ſit, ut quilibet ſuum onus & pœnam experiatur.*

V. 6. 7. 8.

Communicet verò &c. Hîc III. præceptum cum ſuis rationibus habemus. Eſt autem I. *Catechumenus* non is tantùm, qui olim ſpecialiter in Eccleſia ita dictus eſt, nondum baptizatus; ſed quivis auditor verbi divini: ſicut contra *Catechizans* eſt etiam quivis doctor Eccleſiæ. Vid. D. *Hunnius*, *Eſtius*, & alii communiter. II. Κοινωνίαν, *communicationem*, *Lira* & *Gloſſa Interlinearis* de communicatione in operibus bonis interpretantur, ut auditor ſequatur doctrinam & exemplum bonum doctoris ſui: Sed alii communiter de *communicatione bonorum temporalium*, & imprimis collatione ad honeſtum ſalarium accipiunt. Quæ ſine dubio vera eſt ſententia. Hæc communicatio III. debet fieri *in omnibus bonis*, h. e. in omnibus, quæ viderit ei neceſſaria. Id verò avaritiæ auditorum opponi, ne avarè communicent, apparet ex v. 7. 8. Circa conſtructionem IV. ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον, obiter notetur verborum docendi genius, ut in Activo regant duplicem Accuſativum, perſonæ & rei; in Paſſivo verò Accuſativum rei retineant: quod h. l. etiam fit. Non opus itaque eſt, ut cum *Vulgato* & aliis in Latino Accuſativum mutemus in Ablativum. Alia eſt ratio Germaniſmi, quem B. *Lutherus* obſervare debuit. V. Verſus 7. contra avaritiam poſitus eſt, quæ ſe excuſare, & tergiverſari, aut parcè erogare in miniſterium ſolebat. Hoc Apoſtolus illuſionem DEI interpretatur, à quâ graviſſimè dehortatur. Similes ſunt ejusmodi homines Ananiæ & Sapphiræ, Act. V qui Spir. S. ſuper communione bonorum mentiebantur. VI. Reli-

qua

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

qua verba v. 7. & 8. *Eſtius* accipit, quaſi ſint generalis exhortatio ad beneficentiam erga quosvis. Sed meliùs D. *Hunnius* annotat, quod ſint quidē *generales ſententiæ*, ſed h. l. ad hypotheſin de ſuſtentatione miniſterii applicatæ. VII. Qui idem D. *Hunn.* porrò ſcribit: *Per carnem ſeminare in theſi ſignificat, juxta carnis affectum operari; in hypotheſi verò ſignificat, ad cupiditatem carnis per avaritiam negare doctoribus Eccleſiæ juſtam ac debitam retributionem Seminare per ſpiritum eſt, in genere ac theſi, operari ſecundum ductum Spiritus: in ſpecie verò & hypotheſi eſt liberaliter & ex fide contribuere de ſuis bonis ad ſuſtentationem miniſterii.* At *Eſtio* videtur caro & ſpiritus conſiderari, ut agri, in quos ſemen projicitur: ut ſeminare in carnem dicatur, qui opera ſua facit in obſequium carnis: in ſpiritum, qui ſeminat in agrum ſpiritus, h. e. in Spiritu S. facit opera ſua, cujus virtute ſint ad fructum perducenda. Et B. *Lutherus* quidem etiam vertit: auff das Fleiſch/auff den Geiſt. Sic *Beza* & alii, *in carnem, in ſpiritum.* Et *Pareo* ſeminare in carnem eſt, bona ſua corporalibus & carnalibus rebus impendere; in ſpiritum vero, ſpiritualibus rebus & gloriæ DEI promovendæ. *Eraſm. Schmidio*: Facere opera carnis vel ſpiritus. Verùm iſtæ expoſitiones ſibi invicem non contrariantur, ſed facilè conciliantur & conjunguntur. Nam *ſeminat in carnem, qui inſtigante & poſcente carne deſtinat & conſecrat carni facultates tum internas tum externas, ut caro his utatur, & opera ſua per illas vel circa illas exerceat, ſive avarè reſervando, ſive carnaliter impendendo.* Contra *ſeminat in ſpiritum, qui ductu Spiritus S. motus ſuas facultates Spiritui Sancto conſecrat, & in Evangelium, & ea, quæ ſpiritus ſunt, confert, ut hæc promoveantur*; ibi opus malum, hîc bonum eſt; ibi caro fert ſuos fructus malos, qui matureſcunt in corruptionem; hîc ſpiritus ſuos bonos fructus profert, & dat promoventi vitam æternam. Hic verò IIX. Pontificii concludunt, bona opera mereri vitam æternam. Vid. *Eſt.* h. l. Sed negatur conſequentia: nam qui ſeminat in ſpiritum, ex ſpiritus promiſſionibus metit vitam æternam, non ex merito ſuorum operum. Conf. D. *Hunnius* h. l.

V. 9. 10.

Bonum autem facientes, &c.) Hos duos verſus de communi erga quosvis beneficentia agere, Analyſis indicavit. Quod clariſſimum facit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

cit v. 10. & communiter largiuntur Interpp. Conf. D. *Hunn.* h. l. Non tantùm autem I. vult, ut benefaciamus, ſed etiam ut non defatigemur. Unde participium v. 9. ita rectè reſolvitur : *Bonum autem faciamus , & ne defatigemur.* Quomodo etiam B. *Lutherus* : Laſſet uns aber gutes thun/ und nicht müde werden. Sed II. Interpretes v. 9. accipiunt in ſpecie de beneficentia ſeu benignitate ; q. d. *Bonum autem proximis facientes ne defatigemur.* Conf. D. *Hunn. Eſt. Par.* h. l. Sed nos mallemus generalem ſententiam, h. ſ. Quandoquidem autem in genere veriſſimum eſt, quod facere debeamus, quicquid bonum eſt, & ita ut non defatigemur , & tum futurum ſit, ut ſuo tempore metamus præmia : Igitur in ſpecie hoc quoque verum erit de *beneficentia erga proximos*, ut adeò nos etiam, dum tempus habemus, operari debeamus bonum erga quosvis, maximè verò erga domeſticos fidei. III. Ἴδιος καιρὸς, *proprium tempus*, eſt tempus certum, definitum, & conveniens ſapientiæ divinæ. IV. Verbum ἐκλύεσθαι eſt, nullum defectum ſentire, nullum finem experiri. Unde optimè B. *Lutherus* : ohne Auffhören. Conf. D. *Hunn.* h. l. Longè nobis magis placet hoc, quàm quod quidam reddunt : *Si non elanguerimus, aut defatigati fuerimus.* V. Obſervatio ordinis, quo domeſtici fidei præcedunt eos, qui tales non ſunt, utilis eſt.

V. 11.

Videte, &c.) I. Πηλίκοις γράμμασιν, *Vulgatus* malè vertit, *qualibus literis*. Nam & B. *Hieronymus* ſuo tempore obſervavit, non qualitatem, ſed quantitatem ſignificari : & *Eraſm. Schmidius* meliùs vertit, *quàm prolixa Epiſtola* ; quod γράμματα epiſtolam Græcis denotent. Aliqui deformitatem literarum hinc conjiciunt ; inter quos etiam *Chryſoſtomus* apud *Eſt.* h. l. Mirandum ſanè. Melius alii annotant, hanc Epiſtolam à Paulo propria manu ſcriptam eſſe , ex quo magnus erga Galatas & ſalutem eorum amor intelligatur.

V. 12. 13.

Quotquot volunt, &c.) I. Verbum εὐπροσωπῆσαι non uno

mo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

modo reddunt. *Vulgatus*: *Placere in carne.* *Eſtius*: *juxta faciem placere*: & exponit, qui gratiam hominum quærunt carne ſibi conjunctorum, & ab aliis laudari cupiunt, aut offendere eos nolunt. Conſentit D. *Hunnius* h. l. Ita & B. *Lutherus*: Die ſich wollen angenehm machen nach dem Fleiſch. Alii, & inter hos *Eraſm. Schmid.* qui volunt ſpecioſi apparere in carne. Quorum verſio placet, in h. ſ. Qui volunt magni eſſe & haberi ab aliis propter propriæ carnis gloriam, apparentes tanquam viri ſingularis ſanctitatis propter opera propria. Atque hoc eſt, quod v. 13. dicitur: *Ut de veſtrâ carne glorientur*, h. e. ut magnam ſcil. inde arrogent & obtineant laudem, quòd vos ad opinionem de propria veſtra juſtitia & operibus, quibus ſalvemini, traduxerint. II. *Cogunt vos circumcidi*, h. e. urgent vos, quaſi neceſſe ſit, vos circumcidi. III. *Tantùm ut cruce Chriſti*, h. e. ob crucem Chriſti, non patiantur perſecutionem. Hoc nos interpretativè accipimus cum fundamento in re. Nam pſeudodoctores etiam martyres Chriſti haberi volebant, & putabant, ſe totam legem implere. Quod verò Paulus interpretativè illis imputat, id ſequi oſtendit hâc ratione: Ipſos reverâ, quicquid in contrarium dicant, legem non implere, unde nihil obtineant, niſi partim gloriam apud homines de carne Galatarum; partim ut perſecutionem non patiantur. Alii quidem aliter interpretantur, & ferè, quod contra propriam conſcientiam pſeudodoctores egerint, quod egerunt; ſed prius malumus.

V. 14. 15.

A me verò abſit gloriari, &c.) Cohærentia cum antecedentibus ex Analyſi patere poteſt. Alia prorſus fuit I. mens Apoſtoli, quàm pſeudodoctorum. Hi gloriam reverâ aucupabantur in carne, in hominibus, & operibus ſuis propriis, non in cruce & meritò Chriſti, quicquid jactarent etiam: at Paulus in ſolâ cruce Chriſti gloriabatur, non in ſe & ſuis operibus; meritoque crucis Chriſti juſtificari & ſalvari cupiebat, non operibus legis; noverat namque,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

quod per Chriſtum ipſi mundus crucifixus eſſet, & ipſe mundo, h.e. *fidem in meritum crucis Chriſti hoc velle & inferre, ut Chriſtianus per alia, quæ in mundo ſunt, & quidem per propria etiam opera, nolit ſalvari, nec patiatur ſe in iſtam ſententiam traduci.* Agnoſcere hîc coguntur *Pontificii*, meritum Chriſti eſſe fontem totius ſalutis, ſed turpiter in hunc ſenſum trahunt, quaſi ex merito Chriſti fluant omnia, per quæ nos bona opera facere, & bonis operibus ſalvari poſſimus. Vid. *Eſtius* h. l. Verba, *per quem mundus mihi crucifixus eſt*, &c. D. *Hunnius* interpretatur *de hominibus* in mundo evangelicam doctrinam perſequentibus. Quod præfert etiam *Eſtius* in h. l. Plerique tamen intelligunt *res mundanas*, h. e. quas homines hujus ſeculi expetunt, opes, honores &c. Sed nos primum malumus: mundus namque, caro, & ſi quid aliud, Chriſto & merito ejus opponuntur, ſi maximè ſint etiam res fidelium, ſi per illas ſalvari cupiant, aut gloriam captent. Ita II. etiam optimè cohæret v. 25. *In Chriſto JESU enim* &c. Reverâ enim quia in Chriſto JEſu iſtæc nihil valent, non poteſt quicquam valere, ne quidem ipſa noſtra bona opera, ſicut his ipſis opera Paulus excluſit legis Cap. V. v. 6. Cum contra in ſententia *Eſtii* cohærentia commoda non detur, cogaturq; ille dicere, non eſſe probationem ejus, quod præceſſit, ſed concluſionem totius doctrinæ hâc Epiſtola traditæ: contra id, quod manifeſta adeſt particula *cauſalis*, non concluſiva. Cæterùm III. *nova creatura* h. l. non eſt ſimpliciter homo renovatus, ratione renovationis conſideratus: nam in articulo Juſtificationis ne ipſa quidem renovatio & bona opera ex renovatione oriunda quicquam valent. Itaque *nova creatura* eſt homo, *qui vetera omnia dimittit, ut non velit, ut olim ſub lege, ſuis operibus juſtificari & ſalvari, ſed ſolo merito Chriſti; nec faciat bona opera juſtificationis & ſalutis conſequendæ gratia, ſed gratitudinis & debiti ergò, ut filius obediens & patriſſans:* ſicut ſuprà cap. V. v. 6. dixit Apoſtolus, *nihil valere, niſi fidem, quæ per charitatem operatur.* Ut adeò fides h. l. etiam nullo modò excludenda ſit. Conf. D. *Hunn.* h. l. Et notandum, quod *Eſtius* Pontificius fateri cogitur, quod nova creatura ſit homo etiam in articulo Juſtificationis conſideratus; ubi certè fides valet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

V. 16.

Et quotquot &c.) Benedicit hîc Apoſtolus I. omnibus iis, qui hoc canone incedunt, h. e. qui ita credunt & vivunt, tanquam qui hoc pro regula habent, quod in Chriſto JESU nihil valeat, niſi nova creatura; adeoque cum Paulo non gloriantur, niſi in ſola cruce Chriſti. Quomodo facilè conciliantur & conjunguntur variantes Interpretum ſententiæ ap. *Eſtium* h. l. qui per Regulam partim totam doctrinam de Juſtificatione in h. Ep. traditam, partim v. 15. partim τὸ Nova creatura, partim v. 14. intelligunt. II. E contrario verò maledictio includitur; q. d. *Quotquot autem non ſecundum regulam hanc inceſſerint, ſuper eos non erit pax, ſed maledictio* &c. III. *Iſraël DEI* eſt Iſraël ſpiritualis, carnalibus Iſraëlitis h. e. pſeudodoctoribus oppoſitus; q. d. *ficut ſuper univerſum Iſraëlem DEI, ut omnes promisſiones Iſraëli factas hiſce ſecundum regulam incedentibus applicet.*

V. 17. 18.

De cætero nemo mihi &c.) Græcè I. eſt τοῦ λοιποῦ, ubi *Eraſmus Schmidius* ſubaudit, χρόνου, & dicit, adverbialiter poni, *deinceps, in poſterum, de cætero.* B. *Luther.* Hinfort. II. Κόπους, alii *labores*, alii *moleſtias* vertunt. Sunt verò labores moleſti. Præcipuè quidem intelligit labores moleſtos circa quæſtiones hîc tractatas: ſimul tamen etiam quoſcunque alios ſimiles. III. *Stigmata*, quæ Paulus in ſuo corpore geſſit, ſunt *labores, perſecutiones, vincula, plagæ*, &c. Vid. 2. Cor. XI. Propter hæc verò vult ſibi moleſtias non exhiberi, quia alioqui, ut D. *Hunnius* h. l. ſcribit, plus ſatis afflictionum in iis ſuſtineat. Addi tamen etiam poteſt, hæc ſtigmata ſimul ſat teſtimonii eſſe, quod ſine ullo affectu Evangelium incorruptum prædicet, alioqui tanta pro eo non perpeſſurus. Bona hæc ſunt. Putarim tamen, eſſe quandam hîc adjurationem; q. d. *De cætero adjuro vos per ſtigmata J. C. quæ in corpore meo porto, ut moleſtias mihi amplius non faciatis, alioqui Chriſtus JESUS vindex meus erit. cujus ſtigmata porto.* Tandem IV. concludit conſueta gratiæ apprecatione.

In quâ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

In quà quando dicit, *cum ſpiritu veſtro*, *Er. Schmidius* exponit, cum motibus animi veſtri. *Eſtius* vero ſimpliciter: cum ſpiritu veſtro, id eſt, vobiſcum. D *Hunnius* intelligit per ſpiritum cor atque mentem. Breviter: *Cum ſpiritu veſtro*, h. e. *vobiſcum*, *quatenus ſpirituales eſtis*, & *ſpiritu juſtificari vultis*, non carne & legis operibus: *Cum hoc*, inquam, *ſpiritu veſtro ſit gratia*, ut tales maneatis conſtanter, & pleniores magis magisque reddamini, donec ad perfectionem alterius vitæ perveniatis.

Amen.

FINIS.

ponit,
tu ve-
atque
atenus
s ope-
anea-
o-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-292 4° 1516